DISSERTATIO
DE
JOCALIBUS
Vom
Weiber-Schmuck
Quam
In Illustri Academiâ Salana
PRÆSIDE
PETRO MÜLLERO,
U. J. D. & Prof. Publ.

In JCtorum Auditorio
ad d. Maj.
Publicæ ventilationi submittit
CASPARUS Kreutzing/
Hallens. Sax.

JENÆ, Literis Müllerianis Anno 1686.


Illustris Domine, Patrone Magnifice!

Antus eſt Tuus in me favor, tanta fuêre beneficia, quibus per integrum quinquennium, quo Tuo indignus fruebar hoſpitio, me obruiſti, ut non obligâris Tibi, DOMINE, me iis ipſis ſed & mancipâris? Quare non poſſum non quin & Tibi, PATRONE SUMME, hoc pignus, quo me Tibi jam antè mancipatũ arctius obſtringam, offerrem. Suſcipe itaque ingenuæ devotionis munus. Tolle, DOMINE, exiguum huncce ingenii mei partum ſuppliciter ad pedes Tuos devolutum, ſacrâ manu, fronte ſerenâ, Deum hac in re imitando, qui in ſublimi reſidet, humilia tamen non deſpicit; Ita vale Feliciter! PATRONE, Vive in ſeculi Tui decus, Vive Principibus, Vive Patriæ Vive & mihi qui

Illuſtris Tuæ Magnificentiæ
ero moriorque

Dabam Jenæ die 25. Maji A. C. 1686.

addictiſſimus Clien
Caſparus Kreuzing.



Cum Deo!

PROOEMIUM.



Ulierculas politas, astuta ista animalia, quæ viris, quibus retia ad amoris cassam tendunt, variis norunt imponere modis, præsertim emtâ facie & pulcritudine per artem quæsitâ, lepidè depingit Taubman. *in Gynæc. poëtic. pag. 585.*

Cùm pulcerrima sit, plus quàm pulcerrima dici
Expetit, & formæ nescit habere modum.
Adsciscit mercata sui simulamina vultus,
Excitet ut majus vis geminata decus.
Æstuat ipsa sui vehemente cupidine, & audit
Judicium speculi terque quaterque sui.
Nec toties vidisse sat est, juvat usque morari,
Seque sub aspectum sæpe vocare suum.
Fingit, diffingit: format deformat: & aptum est
Nil satis: & repetit non tamen apta magis.

Neque id satis est; Præterea *ornamentis*, quò incedant splendidiores, nulli solent parcere sumtui, nec Virginis solùm, sed maritatæ quoque, non obstante sæpius ætate, volunt cristas de capite, & varia illa ornamenta ex auribus deponere. Quibus tamen tantùm abest, ut ornatiores fiant, ut etiam deformiores inde & magis rancidæ appareant. Quid enim sunt ejusmodi ornamenta aliud, quàm vexilla superbiæ, & nidi luxuriæ? Et quæ nimiùm exornari postulant fœminæ, visum rapere docent, dum oculos ejus exhauriunt, inquit M. Cato apud Livium *dec. 4. lib. 4.* Revera enim quicquid muliebris mundus vocatur, *Sarcinæ viriles* sunt, teste Seneca *lib. 1. natur. quæst.* Nec prætermittenda est gravis sententia Euripidis, quâ pronunciavit, mulierem, quæ absente

ſente marito extra domum ad pulchritudinem ſe comit, referendam eſſe in album improbarum. Nihil enim eam cogere foris ornatam præ ſe ferre faciem, niſi quid mali quærat. Ut taceamus damnum, quod ex iſto veſtium luxu naſcitur. Facete Frieder. Hoffman. *centur. 5. epigramm. 13.* ludit.

Niteris eximio circumdare corpus amictu:
Et firmam quovis fingere menſe novam.
Hinc malè dilapidas partos, bona patria, nummos,
Eſt veſtis *loculi* peſtis *acerba tui.*

Id quod ipſum innuere voluit ille, qui pretioſas eas veſtes & alia ornamenta repudians, quæ Dionyſius Tyrannus dederat, ut filiabus ſuis donaret, reſpondit: filias ſuas eo ornatu deformiores futuras. Guazzius *de civili converſat. edit. Reisner. diſſert. 5.* Et profectò honeſtæ matronæ intelligunt, verum eſſe quod vulgò, dicitur: *freno inaurato equus melior non redditur*, & quòd maximè ornata fit illa, quæ cum poſſit, non tamen velit præ aliis ſe ornare. Optimum mulierum ornamentum eſt morum probitate & elegantiâ florere, domi ut plurimum manere, labiis, oculis, genis, vinculum injicere, pedem limine non admodũ frequenter efferre. Gregor. Nazian. Et uxorem Photionis, cùm Jonica quæpiam Athenas profecta, aureos illi torques, variiſque gemmis diſtincta monilia, mundum ſui corporis oſtentaſſet, reſpondiſſe refert Plutarchus in vita Photionis: *Meum verò ornamentum eſt Photion. d. Chriſtian. fœmin. l. 1.* Nobis impræſentiarum animus eſt de ornamentis muliebribus, quæ Doctores JOCALIA vocant, deque eorum uſu inprimis & abuſu, nec non aliis circa ea notabilibus exercitii liberioris gratiâ literis aliquid conſignare publicæque ventilationi exponere. *Tu Deus cœptis clementer annue!* Tu verò

Zoile quid *ructas?* tetro quid *ringeris* ore?
Rictus & *ructus* non ego curo tuos.

Cap. I.
QVID SINT JOCALIA;

Summaria.

§. I. Vocabulum Jocalium apud Classicos Autores non reperitur. Jocalia deducuntur à joco. II. Accipitur jocale à Scriptoribus pro munusculo, quod ex publicis libidinibus puellæ apud nonnullas gentes sibi quærunt. III. Synonyma referuntur. Quomodo differant à Gereda, à mundo muliebri, à Vestibus. IV. Quid sint Jocalia.

§. I.

VOcabulum *Jocalium* apud classicos Autores hactenus reperire non licuit, Frider. Taubmann. ad Plautum *in Aulular. act. 3. sc. 5. n. 51.* pro nugis usurpatum dicit, ibi: *Nugivendos Plautus dici voluit omnes eos, qui aliquid mulieribus vendant, nam omnia, quibus matronæ utuntur, Nugas voluit appellari. Toti* χλιδῶνες *muliebres, quæ vulgo* Jocalia *vocamus, veteribus dicebantur* Nugæ muliebres. Est ergo hæc vox barbara. Jurisconsultos hactenus in eo sensu, quo ornamenta muliebria denotantur, accepisse ex Gailio *lib. 2. obs. 91.* Besoldo *in thesaur. pract. voc. jocalia* constat. Deducuntur verò *Jocalia* à *joco*, hoc est, festivitate ac ludo, quasi ludicra, festiva ac hilaria munera dicta, Scipio Gentilis *de donat. inter vir. & uxor. lib. 2. cap. 25. in pr.* vel quod in actu acquisitionis jocus plerumque soleat intervenire, vel quod alius præter mulierem quæ sibi talia acquirit, ornamenta offerens ipse vel offerri curans non sine hilaritate quadam sit, vel eam in persona recipientis seu mulieris excitari intendat sibique eam persuadeat.

§. II. Accipitur *Jocale* à Scriptoribus pro munusculo, quod ex publicis libidinibus puellæ sibi apud nonnullas gentes licitè quæsiverunt, quo futurum bearent maritum. Memorabile est, quod hanc in rem de Regionis Tartaricæ Tebeth incolis & accolis recenset M. Paulus Venetus *lib. 2. c. 37. Nullus vir*, inquit, *ducit uxorem virginem, sed si quam ducere instituit, necesse est, ut prius à multis viris sit cognita: ajunt enim mulierem non esse conjugio aptam nisi prius fuerit stuprata. Unde quando viatores &*

adve-

advena aliunde venientes hanc transeunt regionem, & quietis gratia tabernacula sua ponunt, mulieres ejus loci habentes filias nubiles ducunt illas ad peregrinos, aliquando viginti, quandoque triginta aut plures juxta numerum advenarum, rogantes eos, ut quilibet unam è virginibus sibi associet, atque concubitu ejus fruatur, quamdiu illic manserint. Illi igitur matronarum precibus victi deligunt sibi ex puellis, quas volunt, nullam secum abducere permittuntur, sed parentibus fideliter restituunt. Exigit etiam puella ab eo, qui eam defloravit, JOCALE aliquod sive munusculum, quod ostendere possit, ceu argumentum suæ deflorationis. Et quæ à plurimis viris fuit amata atque corrupta & multa habuerit JOCALIA, quæ ostendat procis, hæ nobilior habetur faciliusque & honorificentius maritari potest. Et quando honorificè vult incedere, suspendit ad collum amatorum insignia, quantoque pluribus fuit grata, tanto majori honore digna judicatur. Porrò sumitur pro ornamentis muliebribus, seu reb9 pretiosis ad ornatum tantùm pertinentibus, ut uxor cultior & elegantior incedat Gail. *d. lib. 2. observ. 91. n. 2.*

§. III. Jocalia à DD. etiam appellantur *ornamentum muliebre, ornatus muliebris, suppellectilis muliebris* Rauchbar. *part. 2. qu. 19.* Martialis ornamenta muliebria appellat *Nugas*: Ita peculiariter ea antiqui vocabant, vana prorsus inutiliaque, atque futilia. Tiraq. *in leg. 3. connubial. n. 11,* vid. *§. 1. h. c.* Nonnullis Jocalia veniunt nomine *Utensilium* Landrecht *lib. 1. in art. 5. & 24.* & *Geradæ* Goldbec. *d. Gerada in proœm. n. 6,* Verùm magis abusivè, quàm propriè, Wilhelm. Schmuck. *tract. d. Gerada disp. 1. th. 6.* cùm utensilia non tantùm complectantur supellectilia, verùm etiam esculenta *l. 12. §. 28. ff. d. instr. vel instrum. legat.* Columella *d. re rusticâ lib. 11. c. 6.* at esculenta quis inter jocalia referet ;. Gerada est matrisfamilias instrumentum, ac præter ea, quæ ad ornatum mulieris faciunt, aliis variis corporibus constat. In vernacula lingua dicuntur Frauen-Zier / Weiber-Zierat / Weiber-Geschmuck vel Weiblicher-Schmuck. Et distingvuntur Jocalia à *mundo muliebri*, quod mulier mundior fit: utpote sunt specula, matulæ, lavatio, viscus, vasa ungventaria, & ipsa ungventa. Et potest mulier esse munda, non tamen ornata, ut solet contingere in iis, quæ se emundarunt in balneo lotæ neq; se ornarunt: & contra potest esse aliqua ex somno statim ornata, non tamen emundata *l. 25. ff. penult.*

penult. ff. de aur. argent. mund. &c. ibique Wesenbec. & Eckolt. *ff. 2. & 3.* & à *veste*, cùm hæc sit in victu *l. victus l. instratum d. V. S.* Nam vestis necessitati & cultui corporis inservit. Sed Ornamentum est, quod neque necessitatis, neque cultûs gratia, sed ut ornatius fit corpus, non solùm vestitui, cultui, verùm ipsi quandoque corpori accedit. Gœdd. ad *l. 75. ff. d. V. S.* Quam tamen differentiam Philippus Beroaldus vir multæ lectionis, uti eum Tiraquell. *ad 3. legem connubialem* apellat *in commentariis Apulejanis lib. 4. Asini aurei* suspectam habet, dicitque cum multo honore Ulpiani, hoc argutius videri, quàm verius. Appellatione enim mundi muliebris apud Oratores, Historicos, Poëtas, non solùm illa, quibus mundior fit fœmina, sed ea quoque, quibus ornatior, significantur, quod & nomen indicaret. Nam ut Plinius scribit *lib. 2. cap. 4.* quem κόσμον Græci nomine ornamenti appellaverunt, eum nos à perfecta absolutaque elegantia Mundum vocamus, quòd nihil sit eo mundius, pulcrius, ornatius, citatque Beroaldus illud Livianum *in fin. lib. 2. bell. macedonic.* non aurum modò iis, sed & postremò vestem mundumque omnem muliebrem ademit. Lucilius neutro genere, appellavit his versibus apud Gellium *lib. 4. cap. 1.*

Legavit quidem uxori mundum omne, penumque,
Quod mundum atque penum: nam quis dijudicet istud?

Idem propè scripsit ipse Beroaldus in Annotationibus in Columellam. Ast Catellanus Cotta, vir è nostris doctissimus *in suis memorabilibus*, in eo quidem memorabili, cujus initium est, *Undones, Cilicii*, Ulpiani sententiam secutus: Dabunt (inquit) veniam nobis Philippi Manes: quia licet apud Livium & Lucilium in dictis locis mundus capi posset pro quodam genere, non tamen per hoc statim damnandus fuit Ulpianus, qui in hoc meliùs & exquisitiùs proprietatem verbi declaravit. Oratores enim & Poëtæ laxiores sibi habenas reservarunt. Præterea Livii autoritas etiam nihil obest, imò probare videtur opinionem Ulpiani dum aurem & vestem, quibus ornatur mulier, à mundo distinguit. Sicut neque carmen Lucilli. Nec solus Ulpianus fuit in hac sententia, sed & Scævola, & Paulus significationis verborum maximi observatores ei quoque sententiæ subscribunt, ut est in tus *in l. pediculis ff.*

Titia

Tertia ff. d. aur. argent. & Javolenus *in l. Plautius & in l. si quis ita ligaverit ff. eod.* add, *l. uxori quis eod l. heres meus & uxori meæ ff. de legat. 3.* in quibus locis ponunt mundum & ornamenta, tanquam diversa. Quin etiam Romanorum doctissimus Varro *l. 4. d. latin. lingu.* videtur & ejus esse sententiæ, ut inter mundum muliebrem & ornatum lata sit differentia: Dicit enim Mundus muliebris dictus â munditia: Ornatus, quasi ob ore natus. Hinc enim maximè sumitur, quòd eam deceat. Tiraquell. *d. l.*

§. IV. Describi possunt *Jocalia*, quod sint *res mobiles pretiosæ ad ornatum tantùm pertinentes, ut mulier cultior & elegantior sit.*

CAP. II.

QVÆNAM RES NOMINE JOCALIUM VENIANT.

SUMMARIA.

§. I. Exprimuntur nonnulla ornamentorum muliebrium nomina. II. Inaures. Stalagmium: Plasta. Stilæ. III. Armillæ, quas vocant Brachialia. Bubalia. Psellion. Spinter. IV. Viriole Spatalium. Ophis. V. Anuli præter signatorios Cricus. VI. Aurum. Xinion. VII. Gemmæ, quarum nomina quædam referuntur. Q. Num vitrũ tanquam pellucida materia referendum sit ad gemmas? VIII. Lapilli. IX. Margaritæ. X. Vitta. Tænia. XI. Mitra. Regula. Caliptra. XII. Calantica. XIII. Acus. Discerniculum. Calamistrum. Calamides. XIV. Reticula. Retiola. Crobyle. XV. Crocufantia. XVI. Anademata. XVII. Rica & Ricula. Ampyx. XVIII. Umbella & Umbraculum. XIX. Spiræ. XX. Analectides. Maschalisteres. XXI. Torques. Ægis. Peristethion. XXII. Strophinn. Hormos. XXIII. Segmentum. Plocion. Peritrachelion. Isthmion. Perideræon. XXIV. Perisphyrion. Periscelides. Peripezia. Perpezides. Sandalia. XXV. Referuntur nonnulla jocalium nomina apud nos usitata XXVI. Q. An vestes pretiosæ ad jocalia sint referendæ? Q. Nunc capillamentum fictitium, quod vocant paruquen, ad jocalia pertineat? XXVII. Qua ratione Mitra à JCto in vestibus muliebribus numerentur?

B §. I.

§. I.

ULpianus in *d. l. 25. §. 10. ff. de aur. argent. mundo, ornament.* &c. nonnulla ornamenta muliebria exprimit, veluti *Inaures, Armillas, Viriolas, Anulos præter signatorios*, & omnia, *quæ ad alium rem nullam parantur, nisi corporis ornandi causa: quo ex numero etiam hæc sunt, aurum, gemmæ, lapilli, quia nullam in se utilitatem habent. Vitta, Mitra, Semimitra, Calantica, Acus cum margarita, quam mulieres habere solent; Reticula, Crocufantia. Margarita, si non soluta sunt, vel qui alii lapides, siquidem exemtibiles sint, dicendum est ornamentorum loco haberi.* Item *Anademata l. 26. eod.* Sed quis existimet JCtum omnia ornamenta expressisse? Mens JCtorum aut Legumlatorum non est, exemplorum relatione reliquas similes species excludere, cùm exempla, quoad simila, non restringant *l. 32. §. 6. de aur. arg. l. 9. pr. ff. de supell. legat.* sed declarent *arg. l. 9. §. 5. vers. & licet municipium ff. de jur. & fact. ignor. l. 15. §. 2. ff. ad L. Aquil.*

§. II. INAURES seu MONILIA sunt ornamenta, quæ aurium lobis inseruntur & ab aure pendent, græcis ἐνώτια, ἐλλόβια, Ohren-Zierd / Ohr-Ring. Nam in oriente decus existimatur gestare aurum in auribus. Unde plautus *in Epidem.* Non meministi me in aurem ad te afferre natali die? & Plinius *libro 9. cap. 35.* Antonia Drusi Murænæ quam diligebat, inaures addidit. Cui simile est STALAGMIUM, de quo H. Junius ait, *Inaurium genus esse crediderim oblongum, ex bacca pendula*: à guttæ similitudine, quæ σταλαγμὸς Græcis dicitur. Cælicius apud Festum: Ex aure ejus Stalagmium habeo domi. vid. Rœvard. *l. 4. variar.* Ita Seneca *d. beat. vit. Quare uxor tua locupletis domûs censum auribus gerit?* Idem: *Duc benè institutam, nec maternis inquinatam vitiis: nec cujus auriculis utrinque bina patrimonia dependent.* Taubm. *ad Plaut. Menæchm. act. 3. sc. 3. n. 17.*

Amabo, mi Menæchme, inaures da mihi:

Facienda pondo duûm nummum Stalagmina.

Ponuntur quoque PLASTA & SITLÆ à Comicis inter ornamenta aurium referente Polluce *lib. 5. c. 165.*

§. III. ARMILLÆ, quas Priscianus vocat BRACHIALIA, alii quoq; BRACHONIA aut PERIBRACHONIA, quemadmodum

dum Græcis βραχιονιςῆρας, Arm-Ziert / Arm-Bändlein / dicuntur ab armis, quòd antiqui humeros cum brachiis armos vocabant. Unde arma ab his dependentia armillæ sunt vocata Liv. *lib. 1. Armillas*, inquit Festus, *ex auro, quas viri militares ab Imperatoribus donati gerunt, dictas esse existimat, quòd antiqui humeros cum brachiis armos vocabant*, Rosin. *edit. Dempsterian. lib. 10. antiqu. Romanor. cap. 26. lit. C.* & Caspar Barthius *lib. 49. adversarior. cap. 7.* ait: Non illatinè *armus* pro *brachio* etiam dicitur, quod vel solæ *armillæ* arguerint, quæ sanè non humeris, sed prachiis inseruntur. Palmerius teste Taubmann. *ad Plaut. Truculent. act. 2. sc. 2.* locum istum:

An eo bella es, quia accipisti? arme advenias, ' AS, nunc places!

Jam, inquit, *armeas* pro diminutivo *armellas*, rusticus, non malè usurpat Stratilax. *Armeæ* enim & *armellæ*, eadem quæ *armiæ* & *armiliæ &c.* Tertullian. *d. pallio*: *Armillas, quas ex virorum fortium donis ipsæ quoque matronæ temere usurpassent omnium pudendorum conscias manus inserit.* & Cyprian: *d. habitu virginum*: *Non inferantur auribus vulnera, nec brachia includantur armillis.* Sunt etiam BUBALIA βαβάλια, ornamenta mulierum, quæ circa manus feruntur; Horum meminit Nicostratus Comic9 & post eum Clemens Alexandri *pædag. lib. 2.* Vocantur quoque PSELION. Sic Clitophon *lib. 1. rer. galliear.* memorabilem historiam refert de *Brenno* Galliarum Rege: Quòd cùm depopulatus Asiam, Ephesum adventasset, plebejam puellã adamaverit, quæ & ei concubitum & Ephesi proditionem pollicita est, si mundum sibi muliebrem & Psellia traderet, quod annuit Brennus, & ornavit milites, ut in avarissimæ puellæ gremium aurum, quod gestabant, immitterent, quo ea obruta periit. Est quoque armillæ genus SPINTER, quod mulieres utebantur in brachio summo sinistro, ut Scribit Sextus Pompejus *lib. 17.* At Priscianus *lib. 5.* dicit, id significare aut fibulam in humeris, aut armillam. Taubman. *ad Plaut. Menæchum. act. 3. scen. 3.*

§. IV. VIRIOLÆ sunt quoque ornamenta manuum, non colli, ex gemmis viridibus, ut putat Baifius. Hinc etiam constat viriolas ex auro factitari, Græci ψέλλια, χλάνια, περιτέρεια.

VIRIÆ etiam dicuntur, ut probat ex Tertull. *de pallio* & Ambrosio *l. de Abrahamo*, Cujacius *lib. 10. obs. 17. in fin.* vid. Alciatum *4. parerg. 8.* ex Isidora Gothofred. *ad l. 14. ff. d. contrah. emt.* Viriolarum fit mentio *in d. l. 14.* & *l. ultim ff. d. aur. argent.* ibi: *funerari me arbitrio viri mei volo, & inferri mihi quacunque sepulturæ meæ causa feram ex ornamentis lineas duas ex margaritis, & viriolas ex Smaragdis.* Huc referendum est SPATALIUM, de quo Plin. *lib. 13. c. 25.* tradit, hæc Spatalia à mulieribus confici è frutice plocamo. Id autem fuisse manuum ornamentum ostendit Tertullian. *lib. 1. d. cult. fœmin.* ibi: Nescio, an manus spatalio circumdari solita sit, & duritia catenæ stupescere sustineat. Est quoque OPHIS ornamentum manuum Polluci *lib. 5. c. 16.* à similitudine, ut opinor, serpentis dictum. Benè Clemens Alexand. *lib. 2 pædag. c. 12.* hæc memoratu digna habet: Quemadmodum Evam serpens decepit, ita etiam alias mulieres mundus muliebris aureus esca utens serpentis figura in probra impellit: Nempe murenulas quasdã aureas & serpentes ad decorem effingens. Est autem *Murænula*, quod metallo in virgulas lentescente quadam ordinis flexuosi catena contexitur: ex murænæ piscis imagine vocabulo conformato.

§. V. ANULI PRÆTER SIGNATORIOS ad jocalia pertinent. Ubi notandum: Romanos varia anulorum genera habuisse, id quod exinde patet, quòd pro singulis anni partibus singuli fuerint annuli, ita ut *cerasina* gemma ver, *flava* æstatem, *rubea* autummum, *candida* hiemem repræsentaret. Inter species anulorum alii fuerunt ad ornatum, alii ad signandum *l. 74. ff. d. Verb. Sign. l. 25. §. 10. ff. d. aur. argent.* Ubi *ad l. 74.* Jacob Rigos notat: Quod signatorius annulus non veniat appellatione ornamentorum, quia unumquodque fine, officio usuque suo ab alio distinguitur *l. 4. ff. d. pen. legat.* Hinc anulus signatorius non accedit rei venditæ, tanquam ornamentum *l. 25. ff. 10. d. aur. argent.* Anuli species CRICUS, Κρίκος circulus est. Apud Herodotum in Euterpe legimus ἱστίων κρίκους pro velorum ansulis. Hinc pro ornamento ponitur. add. Aristotel. *lib. 7. polit. cap. 2.*

§. VI. AURUM gestare solent mulieres, eaque se ornare, præsertim olim in auribus, Lucillius:

--- *Aurum aures cujus vehementius ambit.*

Unde

Unde jocus Cicer. *in Afrum: Atqui aurem foratam habet.* XENION, est auratum capitis ornamentum Tiraquell. *ad l. 3. connub.*

§. VII. GEMMÆ, corpora ista lapidea, purioris & subtilioris substantiæ, radiis luminaribus ut plurimum pervia, ad ornamenta muliebria referuntur *l. 19. §. 17 ff. d. aur. arg.* ac appellatio gemmæ id designat, quod in aliquâ corporis parte pro pretiosiori ornamento, quod hodiè Kleinod vulgò dicitur, gestatur, vel appenditur *l. 28. ff. de usufr* Pellucidæ autē materiæ referuntur ad gemnas, veluti Smaragdi, Chrysolithi, Amethisti *l. 19. §. 18. ff. d. aur. arg. legat.* Q. Num etiam *Vitrum*, tanquam *pellucita materia* referendum sit ad gemmas? Negat. quia cùm JCtus locutus sit de materiis pellucidis, nativis, allegatis nativarum exemplis, exclusisse videtur corpora pellucida factilia; & notabilis est inter gemmas & vitrum differentia: Gemmæ in littore maris legi & in veniri dicuntur *§. 18. Inst. d. R. D. l. 3. ff. eod. l. 1. §. 1. ff. d. acquir. vel amitt. poss.* Vitrum in furno vi ignis conflatur. Vitra à gemmis discertè satis distingvuntur *in l. 7. §. 1. ff. d. supellect. legat.* Et Specula ad mundum, Gemmæ ad ornamenta referuntur *l. 25. §. 10. ff. de aur. arg. mund. leg.* Et quod supra de materiis omni ex parte pellucidis dictum est, quòd istæ saltem gemmarum nomine comprehendantur, non exinde semidiaphanæ excluduntur, quod patet ex *d. l. 19. §. 17.* ubi JCtus Amethistas gemmis accenset, quæ plerumque colore intensiori minusque pellucito tinctæ ipsis Opalis, qui semidiaphanis accenseri solent, opaciores nonnunquā apparent. Referuntur inter gemmas *Adamas, Saphirinus, Smaragdus, Hyacinthus, Beryllus, Sardonyx, Sardus, Onyx, Chrysolithus, Amethystus, Ceraunius, l. 19. §. 17. ff. d. aur. arg. l. 16. §. 7. ff. d. public. & vectigal. l. unic. C. nulli licere in fren. & equestr. sell. &c lib.* 11. Chrystalli ad gemmas quoque pertinentis meminit Paulus *in l. 3. §. 4. d supellect. legat.* Præterea gemmis hodiè accensensur *Rubini, Balassii, Granati, Amandini, Prasli, Turcoides, Topasii, Opali, Jaspides, Nephritici, Chalcedonii* & *Achates*, D. Reimers *disß. d. genemis cap. 1. n. 31.* Harum gemmarum, dummodo rudes non fuerint, *l. 25. §. 11. ff. d. aur. arg. mund.* utilitatem in ornando consistere apparet ex *d. l. 25.* Ita enim non solùm cultus Imperatoris gemmis exornatur *l. un. C. nulli licer.*

licet. in fren. sed & privatæ personæ inaures Smaragdis, *l. pediculis 32. §. item cum inaures 8. ff. d. aur. arg.* mammillarum ornamenta Cylindris *d. l. 32. §. ult. & ibi Gothofr. in voc. cylindrus ff. d. aur. argent. mund.* Viriolas seu manuum ornamenta Smaragdis *l. ult. §. fin. ff. d. aur. arg.*

§. VIII. LAPILLI. Quamvis gemmæ pleræque pretiosiores sint lapillis, distingvuntur tamen ab iis *l. 19. §. 17. ff. d. aur. arg. §. item lapilli 18. Inst. de rer. divis.* Generali quidē appellatione & viles, & pretiosi, & mediæ conditionis lapides & lapilli continentur *arg. l. fin. §. 7. vers. lapis universus ff. d. publican. & vectig.* Joh. Bolognetus *ad. l. 1. n. 54. ff. d. acquir. vel amitt. poss.* Specialiter verò extra gemmas cæteri viliores appellatione lapidum venire invaluit Bartol. *in d. l. fin. §. species ff. de publican.* Alciat. *d. V. S. lib. 4. in refut. 28. Laur. Vallæ*, ubi gemmas & lapillos sæpius quoque confundi authoritate Catulli & Plinii probat, D. Reimer *d. l. cap. 1. n. 3.* Huc spectant *Tanthenristi* seu quædā ornamenti genera, lapillos quosdam à se dependentes habentia, sic dicti à motu gemmarum, ut tradit Pollux *lib. 5. c. 16.* Tiraquell. *c. l.*

§. IX. MARGARITÆ Perlen sunt lapilli in conchis nascentes, quos Romani uniones vocant. Matronarum olim aut nobilium fœminarum tantum erat gestare lapides & margaritas & talia, Barth. *adversar. lib. 38. cap. 6.*

Nec magis huic inter niveos viridesque lapillos
(Sit licet hoc, Cherinte, tuum) tenerum est femur
aut crus
Rectius, atque etiam melii per sæpe togatæ.

Horat. *Margaritas extricatas* vocat JCtus *in l. 27. §. 30. ff. ad L. Aquil.* quæ *tricâ*, id est, funiculo sive lineâ nec dum erant colligatæ aut collo circumdari possent, ibi: *Si eum maritus uxori margaritas extricatas dedisset in usum, ea invito vel inscio viro perforasset, ut pertusis in lineâ uteretur, teneri eam lege Aquilia, sive diverterit, sive nupta est adhuc.* Plinus vocat *exaluminatas* à detracto alumine, nondum tamen pertusas & conjectas in lineam Cujac. *18. obs. 37.*

§. X. VITTÆ græcis ταινίαι sive TENIÆ Haubt-Binden oder Hauben sunt ligamenta capitis, hoc est, fasciæ, quibus circa caput vel crines, vel serta aut flores, aut quidvis aliud religabant. Ovid. 1. *Metamorph.*

Vitta

Vitta coercebat positos sine lege capillos;

& *lib. 2.*

Vitta coercebat neglectos alba capillos.

Scilicet crinibus non solùm mulierum, sed & virorum ornandis gemmæ accedebant auro, Cl. Claudian. *d. Honor. Consul.*

Ac velut officiis trepidantibus ora puellæ
Spe propiore thori mater solertior ornat
Adveniente proco, vestasque & cingula comit,
Sæpe manu, viridique angustat Jaspide pectus,
Substringitque comam gemmis, & colla monili
Circuit, & bacis onerat cadentibus aures.

Crinibus ita seu pexis seu flexis, ornamenti gratia vittæ addebantur. Certè matronorum hoc proprium fuit gestamen. Aristo JCtus apud Ulpianum in *l. 25. ff. d. aur. arg. leg. Vitta Margaritarum & fibula, ornamentorum magis sunt quàm vestium.* Marcian. Capella *l. 1. de nupt. Mercur. & Philolog. Juno quoque expurgatioris auri vena splendente addiderat crinibus sociale vinculum.* Quod vinculum Dempsterus *ad Rosin. antiqu. roman. lib. 5. cap. 35.* interpretatur crinalem vittam. Sic enim Stat. *lib. 1. sil. 2. vers. 242.*

-- -- -- dat Juno verenda
Vincula & insigni geminat concordia dextra.

Discretæ iis matronæ meretricibus. Q. Flor. Tertullian. *libr. de fæmin. cult. Quid minus habent infelicissimæ illæ publicarum libidinum victimæ, quas si quæ leges à matronis & matronalibus decoramentis coercebant, jam certè seculi improbitas honestissimis quibusq; fæminis usque ad errorem dignoscere exæquavit.*

Sext. Propert.

Mox ubi jam facibus cessit prætexta maritus
Vinxit, & acceptas altera vitta comas.

Plaut. *in milite.*

-- -- -- -- Cohibete
-- -- Ut ad te eam jam deducas domum
Utique eam sic adornatam adducis matronarum
modo.

Capte

Capite compto ; crines ; vittasque habeat, assimiletque se
Tuam esse uxorem, ita præcipiendum est.

Ovidius sæpissimè *libro 1. de arte amandi* nomine vittarum matronalem dignitatem significat:

Este procul vittæ tenues, insigne pudoris
Cuique tegit medios instita longa pedes.

& *lib. 1. d. remed. amoris.*

Thais in arte mea est, lascivia libera nostra est,
Nil mihi cum vitta, Thais in arte mea est.

Neque modò matronarum illæ, sed & virginum nondum nuptarum, Valer. Flacc. *lib. 8. Argonauticon.*

Ultima virgineis tum flens dedit oscula vittis.

Scilicet nupturæ coronas nuptiales osculo prius dato statim valere jusserunt, quas postea dedicarunt Veneri B. Bosius. *d. coronar. gestatione cap. 10. §. 2.* Cæterùm vittæ non soli ornatui muliebri adnumeratæ, sed & in alio eoque multiplici usu fuerunt. Sic *Sacerdotes* erant vittati & *Poëtæ.* Et diademata priscorum Regum nihil aliud quàm vittas discolores fuisse docet Demsterus *l. c.* Sunt, qui dicunt TÆNIAM esse vittarum extremitatem: ut Servius interprætans illud Virgil. *7. Æneid.*

-- -- -- *Fit tortile collo.*
Aurum ingens coluber, fit longæ tænia vittæ.

Alii Tæniam interprætantur totam vittam ex eod. Virgil. *lib. 5.*

Puniceis ibant evincti tempora tænis.

§. XI. MITRÆ, SEMIMITRÆ eine Gattung einer Haube / denotant ornatum capitis adolescentularum, ac muliebrem coronam, ex qua pendebant fasciolæ, quæ Phylla dicebantur, quòd foliorum instar dependerent, Virgil. *l. 9. Æneid.*

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

in quem locum ita Servius, *Pelea* inquit, *sunt virorum, mitræ fæminarum.* Cœlius Rodiginus *lib. 6. antiqu. lect. cap. 10.* ex Euripide & Herodoto docet mitram esse genus fasciæ, sive tæniæ, quo caput obligatur, & subjicit esse quosdam, qui sic finiant, ex fascibus horariisque concinnatas corollas dici mitras, eamque appellationem deri-

derivari à μίτος, quod filum est: atque etiam eo nomine dici *Zonam*. *Mitra* vestibus annumerantur, si tegendi capitis causa eis mulieres uti cœperint *l. 23. §. 2. ff. d. aur. arg. leg.* Sin verò venustatis, ornamentis *l. 25. §. 1. l. 26. ff. eod.* Isidor. *19. cap. 31.* vide *thesin ultimam hujus capitis, ubi Wissenbachii responsio ad dubiū affertur.* mitra est pileum phrygiū, quale est ornamentum capitis devotarum fœminarum, & ex lana redimicula, quibus mitra alligatur. Habebant autē mitræ sua redimicula, à redimiendo dicta, Virgil. *d. l. 9. Æneid.* RIGULA, mitra virginalis capitis Gothofred. *ad l. 23. d. aur. arg.* Isidorus Hispalensis in glossis: *calestra*, genus mitræ. Locum autem istum corruptum dicit Dempster. *ad Rosin. antiqu. romanar. lib. 5 ad c. 35.* cùm ei voci nec latina, nec græca origo affingi possit. Corrigendum igitur putat, CALIPTRA, genus mitræ. Fest. Pompejus *l. 3.* Caliptra genus vestimenti, quo caput aperiebant, καλύπτω enim est idem ac *velo, tego, aperio*, unde καλυμμα est *velum* & καλυπτήρια significat *tegumentum*, καλύπτης, *imbrex*, καλυπτηριάζω, *imbrico.* Aristænetus *libr. 1. epist. 19.* ait: *Stupeo per Deos, quā mulier omnia simul mutarit; videas nunc ei dimissum vultum gestum moderatum, severum risum, capillum sine arte implicitum, decentem desuper mitram, brevem ac submissum sermonem.* Quòd etiam *Mitra* pileum incurvum denotet, & à tiara differat. vid. Taubm. *ad Plaut. Pers. act. 4. sc. 2.*

§. XII. CALAUTICA, seu ut alii legunt *Calantica*, Glossis dicitur *Cacautica*, εἶδος ζώνης, Weiber-Schleyer/idem denotat ex mente Gothofredi ad *d. l. 25.* quod *mitra.* Idem vult Servius loco citato *Mitre*, inquit, *fœminarum sunt, quas calanticas dicunt.* Calantica, inquit Nonius, est tegmen muliebr, quod capiti innectitur. Marcus Tullius in Clodium: *Tunc cùm vincirentur pedes fasciis, cùm calanticam capiti accommodares?* Inde *becalanticare* Lucillio est, calauticam detrahere, Nonius *in verbo depeculasset* Cujac. *lib. 10. obs. 17.*

§. XIII. ACUS, qua ornatrix utitur L. Apulejus *lib. 8. milesiar.* crinalem apellat, quòd scilicet crinibus ornandis inserviret, vel discernendis dividendisque, quare & discriminalis est vocata à Divo Hieronymo *lib. 2. ad Ruffin. & in cap. 3. Isai Habent*

C muli-

mulieres acus suas, quibus ornatorum crinium compago tenetur, ne laxius fluant, & in sparsos dissipentur capillos. Vocarunt etiam hanc acum DISCERNICULUM, quod capillos discerneret, M. Varro *lib. 4. d. lingu. latin.* C. Lucilius *libr. 30. Satyrar.*

Emploramo digitis, discerniculumq; capillo.

Hæc acus non dirimebat modò aut discernebat capillum, sed in cirros quoq; contorquebat. Idem est CALAMISTRUM, sic appellatum, *quod calefactum in ignito cinere capillos ornet.* Unde apud M. Ciceronem *in orat. post reditum : Frons calamistri notata vestigiis.* Taubmaeno ad Plautum *in curcul. act. 4. sc. 4.* dicitur calamistrum acus major, quâ crispatur in annulos capillitium. Juvenal. acum vocat. *Calamistro crispare comam : & comam in gradus frangere* dixit Plinius Junior. *Vibrare ferre crines* Virgilius. *Ustulas crines* cadente ferro Pacuvius. Cicero in oratione masculinè dixit *calamistros.* Et Varro *hunc calamistrum*, sed & *calamistra* : quod anuotar Charisius. CALAMIDES etiam acus erant, quibus mulieres ad componendum capillum utebantur, ita dictæ, quòd olim ex arundine fieri consueverint, quam κάλαμοι Græci appellant.

§. XIV. RETICULA, quæ vulgo *Scofia* dicuntur, in formam retis facta, sunt tegmen muliebris capitis, quæ ad capillos continendos capiti aptantur. Juvenal. *satyr. 2.*

Reticulumque comis auratum ingentibus implet.

Isidor. *lib. 20. Etym. c. 30. Reticulum*, ait, *est quod colligit comas* : dictum ab eo, quod retinet crines ne effundantur. Lamprid. *in Alex.* & Tullius 7. *in Verrem ait : Ipse autem coronam habebat unam in capite, alteram in collo : reticulumque ad nares sibi opponebat : tenuissimo lino, minutis maculis, plenum rosa*, & Varro Sesquiulyssæ : *Suspendit laribus marinas molleis pilas, reticula, & strophia.* Ex quo loco intelligit Rosin: *lib. 5. antiquit. roman. cap. 35.* reticulum dici fasciam laneam, vel lineam ad formam retis factam, quam faciei admoverent, ne agnoscerentur: vel ut naribus suaves odores admoverentur. Sed cùm ad ornatum mulierum spectat; tum est id, quod capillos continet. Hinc Varro *lib. 4. d. lingu. latin.* scribit à reti dictum esse, quod capillum retineret; & Reticulum à raritudine, RETIOLUM à multis dicitur in eadem significatione.

CRO-

GROBYLE idem volunt dici, quod reticulum. Sunt, qui dicunt, id reticulum esse ab extremis crines extendens ad verticem: Deinde eos deducens in acutum ; qui perforata aurea cicada constingebantur, ne deorsum defluerent.

§. XV. CROCUFANTIA opinatur Calvinus in lexico *h. voc.* esse muliebria ornamenta villosa, quæ sub reticulis contexta per eorum plagulas apparent, id enim origo vocabuli *κροκύφαντος* declarat. Turbebus *28. advers. 23.* ornamenta sine ullo stamine contexta interpretatur. Cotta *in memoriabil.* undones, & crocohyphanta, quasi dicas, croco intexta.

§. XVI. *ANADEMATA* sive *ANADESMATA* ornamenta quædam capitis ab *ἀναδέω* dicta, quod verbum significat corono, ligo, exorno. Et hujus fit mentio apud Lucretium *lib. 4.*

Et bene juncta patrum fiunt anademata mitræ.

§. XVII. Sunt præterea & alia ornamenta muliebria. Sic *RICÆ* & *RICULÆ* vocantur parva ricinia & palliola ad usum capitis facta. Nonius autem Marcell. *Rica*, inquit, est, quod hodie *Sudarium* dicimus. Est autem Sudarium, & diminutive *Sudariolum* linteum, quo sudor faciei abstergitur, & nares purgantur. *AMPYX* Homero memoratur inter capitis ornamenta teste Polluce *lib. 5. cap. 16.* Alii dicunt esse catenam auream à fronte protensam, qua comæ colliguntur, quod *frontale* alii dicunt. Tiraquell. *in leg. 3. connubial.*

§. XVIII. *UMBELLA* & *UMBRACULUM* est velum quo fœminæ arcent solis ardores. Juvenal. *Satyr. 9.*

Et cui tu viridem umbellam, cui succina mittas
Gradia.

Et Ovid. *lib. 2. Fastor.*

Aurea pellebant tepidos umbracula Soles.

§. XIX. *SPIRÆ* & *SPIRULÆ* in matronarum ornamentis dicuntur, quidam quasi circuli caput aliquoties ambientes. Plin. *lib. 9. cap. 35.* ait : *Vidi Lolliam Paulinam, Caji Principis matronam smaragdis margaritisq; opertam, alterno textu fulgentibus, toto capite, crinibus, spiris, auribus, collo, manibus, digitisque,*

§. XX. *ANALECTIDES* sunt ornamenta muliebria, quibus ex xylino lino, vel quavis alia materia, tanquam pulvillis, mulieres constipant scapulas prominentes, ut habitiores videantur. Ex quo Ovid. *lib. 3. de arte amand.*

Conveniunt tenues scapulis analectides altis:
Angustum circa fascia pectus eat.

MASCHALLISTERES apud Philippidem Comicum ex Polluce *cap. 5. c. 16.* sunt ornamentum pectoris & maxillarum Tiraquell. *dict. loc.*

§ XXI. *TORQUES*, quâ se mulieres ornare solet, est circulus aureus vel argenteus, vel alterius materiæ, flexilis, obtortus, colli & summi pectoris ornamentum, poniturque inter ornamenta muliebria, *Esaia 3.* *ÆGIS* ornamentum pectorale est, Ovidius *lib. 2. d. art. amand.* Ægidem appellat gemmas, & alia hujusmodi ornamenta, quibus deformitatem tegunt mulieres:

-- -- -- *Gemmisq́ auroq́ teguntur*
Omnia: pars minima est ipsa puella sui.
Sæpe, ubi sit quod ames, inter tam multa requiras,
Decipit hac oculos ægide dives amor.

Pectorale ornamentum mulieris dicitur *PERISTETHION* Polluci *lib. 5. c. 10.*

§. XXII. *STROPHION* à Polluce inter ornamenta muliebria ponitur. Estque fascia brevis, quæ virginalum pupillarum tumorem cohibet. *HORMOS* est ornamentum circa collum. Polluc. *d. l.*

§. XXIII. *SEGMENTUM* est colli ornamentum, quod & *Monile* dicitur Servio *in lib. 1. Æneid.* sic dictum, quod ex segmentis fieri consueverit, id est, bracteolis aureis vel argenteis Valer. Maxim. *lib. 5. c. 2.* de Coriolano ita ait: *Matronis permisit aureis uti segmentis.* Virgil. *lib. 1. Æneid.*

-- -- -- *colloque monile*
Baccatum & duplicem gemmis, auroq́ coronam
Ferre jubet.

Ovid. *5. Metam.*

-- -- *Ornabant aurata monilia collo.*

Cicero

Cicero loquens de illa Eriphylæ fabula *6. in Verrem action. Eriphylam*, inquit *accepimus in fabulis ea fuisse cupiditate, ut cùm vidisset monile, ut opinor, ex auro & gemmis, pulchritudine ejus incensa salutem viri proderet.* *PLOCION* est quoque genus monilis implexum & obliqvum. Pollux *lib. 5. c. 16.* dicit id esse ex colli ornamentis. Similiter *PERITRACHELION* est ornamentum colli ex Polluce *d. l.* τράχηλος enim denotat collum tanquā dicas collarium. *ISTHMION*, de quo Homerus *lib. 8. Odyss.* collum cingit; differt autem ab *hormo*, quòd hoc ab eodem demittatur. *PERIDERÆON* colli ornamentum apud Polluc. *l. 5. c. 16. & l. 7 c. 22.*

§. XXIV. *PERISPHYRION* pedis ornamentum aut fimbria Laur. Valla *in lib. 4. Herodot.* Pollux quoque *lib. 5. c. 16.* id inter pedis ornamenta enumerat. Tiraqu. *c. l.* *PERISCELITES* sunt crurum vel brachiorum ornamenta, à περὶ circum, & σκέλος crus & brachium. Horat. *lib. 1. epist. 13.*

-- -- -- *Sæpe catellam*
Sæpe periscelidem raptam sibi flentis.

& *PERIPEZIA*, & *PERIPEZIDES* sunt pedum muliebrium ornamenta Pollux. *c. l.* Hæc de jocalibus quorum nomina apud Scriptores invenire licuit antiquiores.

§. XXV. Quis autem omnia ornamentorū muliebrium genera, prout inprimis hodiè exoticis moribus non solū Germania, sed & totus orbis pene Europæus nō suis contentus sed aliis se conformat, infinita sunt, enumeret? Verū enim videtur quod Pollux *onomastic. l. c. 22.* dicit, tot esse, ut enumerari nequeant. Ex vehementissimo enim fœminarū affectu prodierunt tot ornamentorū tot repositoriorum, aliarumque rerum ad eam rem pertinentium genera, & antiquis & nostris temporibus à fœminis excogitata & inventa, quæ emere mariti compelluntur ad extremam interdū inopiam ut vix enarrari possint, Tiraqu. *d. legib. connubialibus in l. 3. gloss. 1. part. 3. n. 37.* Apud nos variis indigitantur nominibus, quorum nonnulla ex Magdeburg. Land-Tags Abschied zu Halla de anno 1678. desumi possunt, ubi ornamenta muliebria quæ ad Geradā pertinent, referuntur, ibi: Alle Geschierde / Pacificalen / Kleinodien / Ketten / gebeugte Gold-Gülden / so die Frau an Schnüren getragen / ange-

angeregte und angeheffte Perlen/Perlen Kräntze/Perlen-Schnüre oder Borten/Corallen Schnüre/Ringe/(iedoch ausgeschlossen der Petschafft Ring Hals und Arm-Bänder/angenehete Güldene und Silberne Knöpffe/Silberne und Güldene Stiffte/seidene Borden/mit Golde oder Silber beschlagene Hefftlein &c. Huc pertinent Pacificalia aurea vel argentea, quibus affixa sunt triobola, (Spitz Groschen) aliæve bullæ argenteæ (Schau Groschen) vel thaleri, si mulieres,(uti plebejæ solent)gestent, seque iisdem ornent. Landrecht *artic. 13.* Bullæ ansatæ, geöhrte oder gehenckete Geldstücken/ & aurei incurvati gekrümmete und an einer Schnur angehenckte Goldgülden pro jocalibus habentur, modò mulier lineam ex margaritis seu unionibus confectam, nec non lineam Coraliorum, eine Corallen-Schnur/ & aureos incurvatos funiculo trajecto in collo gestet, aut ad gestandum præparaverit vid. *§. 6. huj. cap.* Andr. Goldbeck. *d. gerada c. 4. n. 94.* Carpzov. *p. 2. c. 14. d. 45.* aliàs cùm resistæ non raro pretii aut pecuniæ nomine exsolvantur, pecuniam numeratam nemo jocalibus annumerabit Carpz. *lib. 1. resp. 95. n. 8.* ubi sequ. Imagines Principum aureas à catenulis dependentes (Fürstliche Bildnüssen und Contrefaiten) jocalibus anumerat, licet eæ sæpius à Principibus vel aliis illustribus personis ad exhibentum aliquod gratiæ suæ signum viris soleant donari adeoque ad ornatum potius virilem pertineant, nihil tamen prohibet, eas & fœminis à principibus donari; vel saltem jure successionis à patre in filias transferri; quin & viri quandoq; munuscula hæc Principum, uxorum amorem allecti, iis offerre soleant, aut saltem hisce uxores ornari permittant, ad ornamenta muliebria bene referri merentur.

§. XXVI. Quæritur: *Num vestes pretiosæ nomine jocalium veniant?* Respondet JCtus in *l. 37. ff. d. aur. argent.* vestimenta sub ornamentis vel legatis vel donatis nō contineri, ne muliebria quidem, vid. Petr. Rebuff. *in l. 74. d. Verb. Signific.* Quodq; vestium nomine non veniant, nec transferantur jocalia, catenæ aureæ, nec annuli, tradit post Nicol. Boëer *in commentar. super Consuet. Bituricens. in tit. de coustumes concernans les mariages & donaires in §. 4.* Johan. Fichard. *Consil. 33. n. 19.* Nec obstat quòd vestes muliebres magis ornatus gratiâ, quàm ut corpus tegant, adhibeantur, tamen

potius

potus vestis nomine, quàm ornamentorum habendæ, *l. 26. §. d. aur. arg.* etiamsi vestes sint admodum pretiosæ Bartol. *ad d. l. quamvis.* Petr. Peck. *d. testam. conjug. lib. 5. c. 29. in fin.* & ita JCtos Lipsienses respondisse testatur Carpzov. *lib. 1. resp. 47.* ibi: Dieweil aber dennoch angeregte Stücke / als daseyn Ketten / Ringe / Arm-Bänder und dergleichen / unter das Worth der täglichen Kleider nicht mit begriffe / noch auch für Kleidung / sondern vor Zierrat und Geschmuck zu achten / unter welchen beyden ein mercklicher Unterscheid ist. &c. Quæritur, *Num capillamentum fictitium, quod vocant* paruquen *ad jocalia pertineat?* Respond. quamvis eodem tegatur caput, magis tamen ornatus gratia adhibetur, ut hinc ad jocalia referendum sit, *arg. l. quamvis 26. §. simil. ter ff. d. aur. argent.* ubi anadematum appellatio (de quibus vide supra *th. 16.*) ob similem ferè rationem ad capillamentum fictitium extendi potest D. Stryke *dissert. d. jure vestiar. cap. 1. n. 33.* Cæterùm de origine capillamentorum, & quemadmodum horum luxuriam, ab omnibus acceperint *Galli*, quæ & *Italis, Romanis* olim familiaris; à Gallis verò *Germani*, quod Gallorum æmulos vocat, acceperint, vid. Dn. Rango *in libr. singular. de capillamentis cap. 2.*

§. XXVII. Cùm autem dictum sit thesi præcedenti jocalia à vestimentis esse distincta; Q. *Quâ ratione* Ulpian. in *l. vestis 23. §. 2. vers. muliebria d. aur. arg.* mitras in vestibus muliebribus cõnumeret, cùm tamen Idem JCtus easdem ornamentorũ esse doceat *l. 25. §. 10 cod?* vide *supra th. 11. huj. c. circa mediũ.* Respondet Wistenb. *part. alter. ad ff. disp. 6. th. 19.* Plerumque ita se habere, ut mitræ ornamentorum potius quàm vestis esse censeantur; propterea quod his uti mulieres venustatis & ornatus causa primùm cœperunt: veruntamen cùm adstringentis mulierum capillis haud parum aptæ sint, atque adeo mitræ vestis quoque usum præbeant, si magis tegendi, quàm ornandi capitis causa comparatæ fuerint, muliebribus vestimentis adnumerandas esse *d. l. 23.* Ita ut probatio incumbat ei, qui mitras tegendi capitis paratas à testatore, & vestium legatarum nomine mitras quoque comprehendi esse dixerit. In dubio verò mitras ornamentorum esse

Wissenbach. d. l.

CAP. III.

CAP. III.

DE ACQVISITIONE JOCACIUM

SUMMARIA.

§. I. Jocalia acquiruntur modis jure gentium vel civili introdu-ctis. Hoc jure fit vel singulariter vel per universitatem. II. Usucapiuntur. II. Donantur jocalia vel à Parentibus. Q. Num donatio inter liberos nondum natos conferri possit? De jure civili non subsistit donatio inter patrem & filiamf. benè autem de jure Saxonico. III. Vel ab extraneo idq; fit vel pietatis causa, vel sine eâ. Ad illam referimus si Patrinus qui do-net. Fit porrò donatio vel mulieri solutæ vel conjugatæ. Variæ causæ enumerantur. IV. Insinuanda est, si summa eorum excedit 500. so-lidos. Q. an absq; insinuatione facta a juramento firmari possit donatio? V. A marito fit donatio jocalium vel ante nuptias. Q. An quævis oblatio joca-lium à sponso facta sponsæ pro donatione sit habenda. VI. Vel postea, & quidem in festivitate nuptiarum personis nobilibus offertur jocale loco doni matutinalis in præmium amissæ virginitatis. Q. Num vi-duæ sponsæ munus antelucanum debeatur? VII. Vel postmodum constan-te matrimonio. Ubi Q. si maritus uxori jocalia tradiderit nihilque de donatione expressâ appareat, Num eas uxori donasse dicendum sit? VIII. Donatio Jocalium mortis causa benè inter conjuges fieri potest. IX. Item remuneratoriè & reciprocè. X. Quando maritus senex vel igno-bilis uxori Juveni vel nobili jocalia donat, donatio valet. XI. Si donatio jocalium facta est in festo Nativitatis Christi. XII. Concessæ sunt do-nationes jocalium, quæ fiunt in uxoris die natalitia. XIII. De Jure Saxonico donatio jocalium à marito uxori quocunque modo & tempore facta valet. XIV. Jocalia legantur. Q. Si fortè jocalia vel ornamen-ta uxoris causa comparata fuerint legata; utrum ea quoque orna-menta, quæ promiscui viro & uxori usui fuêre, contineantur? Q. Si jo-calia ex feudo præstanda legata fuerint, an eadem à successore sint sol-venda? Q. Si quis aurum, gemmas & quæ in eo auro fuerint, legasset, num aurea suppellex, cui neque gemmæ, neque margaritha insunt, le-

gata

gata videbitur ? XV. Quando acquirantur per universitatem XVI. Mentio fit contractuum.

§. I.

JOcalia acquiruntur iisdem modis ac aliæ res, nempe vel jure gentium, vel jure civili. Illius quatuor à Ludvvell. *disp. 4. th. 5.* enumerantur, videlicet *Occupatio, Accessio, Specificatio* & *Traditio.* De quibus videri possunt DD. *ad tit. Instit. d. rer. divis.* Sic *gemmæ*, cùm ab initio nullius sint, illis quoque, qui primi ipsarum possessionem nanciscuntur, jure naturali acquiruntur *l. 3. ff. de rer. divis.* quamvis hodiè in plerisque provinciis, quæ gemmas fert, earundem lectio seu inventio Regalibus annumeretur teste Sixtin. *d. Regal. lib. 2. c. 16. n. 31.* Jure civili acquiruntur vel singulatim vel per universitatem *§. ult. Inst. per quas person. nob. acqu.* Jus enim illud, quo istæ acquiruntur in donatione & præscriptione semper est singulare, in successione verò universale Vultej. *ad princ. Inst. d. testam. ordin. n. 2. & 3.* & cùm *usucapio* sit particularis modus, ac jocalia consistant *in mobilibus*, sponte sua fluit, ejusmodi res de jure civili triennio, de jure verô Saxonico intra annum & diem præscribi Philip. *in usf. pract. Instit. l. 2. ecclog. 1.*

§. II. Alter juris civilis acquirendi modus est *Donatio*, quæ mulieri fit vel à *Parentibus*, vel ab *Extraneo*. A Parentibus jocalia sæpius donantur liberis intuitu matrimonii, ut ad nuptias cum iis celeriùs contrahendas invitentur alii *l. 35. famil. herciscs.* vel si liberi de parentibus benè meriti, *Authent. unde si parens C. d. inoffic. testam.* Quæritur; *Num donatio inter liberos nondum natos conferri possit ? Negatur*, quia in donatione extremum, in quo consistat, requiritur *l. 42. ff. d. mort. caus. donat.* Card in. Tusch. *concl. 640.* De jure quidem civili Pater filiis & filiabusfamilias validè & cum hoc effectu, ut donatio statim subsistat, regulariter donare nequit *l. 1. §. 1. ff. pro donat. l. 25. C. de donat. int. vir. & uxor.* idque propter unionem personarum, cùm jure civili pater & filius habeantur pro una persona *l. ult. C. d. impub. & al. substit.* nisi quid donatum sit liberis ex benè merito, uti anteà dictum, tunc enim cessat ratio donationis impeditiva, quæ in unitate personarum consistit *l. 11. C. de donat.* Ast de jure Saxonico res se aliter habet, ut nempe donatio rerum mobilium à patre collata in filiamfam-

valida sit Carpzov. *p.2.c.12.d.12.* ubi JCtos Lipsienses ita respondisse testatur : Ob wohl sonst die donationes unter einem Vater und seinen Kindern nicht zulässig seyn / dieweil aber dennoch solches nach Sachsen Recht in den mobilien und Fahrnüß seinen Abfall hat / und derselbe ein Vater seinen Kindern beständiger Weise verehren und übergeben kan etc. So ist auch obangeregte Übergabe / bevoraus weil dieselbe durch des Vaters Todte beständiget worden / kräfftig &c.

§. III. Ab *Extraneo* fit donatio jocalium vel pietatis causa vel absque eâ. Ad illam referimus, si Patrinus filiæ suæ spirituali donat armillas & ornamenta. Idque fit à susceptore vel in infantia, vel in ætate adultiori, intuitu tamen baptismi & suscepti sui muneris. D. Radovius *dissert. d. pecun. lustric. cap. 4. §. 10.* Si intuitu pietatis haud fit, Jocalia offeruntur mulieri vel solutæ vel maritatæ. Si *soluta* donatur à juvene v. g. annulus, vel alia xenia, levissimis quandoque de causis id fieri solet, & uti vulgò dicitur zur discretion D. Lauterbach. *de arrha. th. 84.* neque statim sunt signum desponsationis, de quâ vid. infra *cap. 5.* ex joco enim quandoque datur annulus, vel quandoque magis censetur præcedens ad Venerem & illicitum amorem D. Præses *in hypomnem. d. annulo pronubo th. 14.* vel datur *Maritatæ*, & quidem donantur jocalia vel tanquâ *dona nuptialia*, Hochzeit-Geschenck / à cognatis aliisve ad Nuptiarum festivitatem invitatis benevolentiæ contestandæ gratia vid. D. Præses *in dissertat. d. dono nuptiali c. 4.* vel *simpliciter* v. g. si res venditur, & jocale loco cujusdâ additamenti in pratii uxori venditoris datur, quod communiter appellatur, was in den Kauff geben / & tunc donatoriæ statim acquiruntur & ab ipsa, conjugio soluto, præcipi apparet ex Jure Provinciali Würtenberg. *part. 3. tit. 7. §.* Wann denn : ibi : oder sonsten Schenckungs Weise bekommen / quippe quæ nullam habuerunt causam acquæstus conjugalis, sed ex solo donatoris liberali animo profecta Georg. Everhard. *vol. 3. cons. 4. n. 2.* nisi contemplatione mariti donatio fuerit facta, tunc enim ei acquiritur donatum, cujus recordatione donum oblatum est. Garss. *tr. d. acquir. conjugal. n. 101. & seqq.* Si convictores discessuri hospitæ jocalia donaverint, ejusmodi rés tanquam præcipuæ uxor retinere non valet,

let, sed cum viro propter officia œconomica, ad quæ uxor obligata est, omnino communicabit per *l.7. & 8.ff. pro soc.*

§. IV. Si Jocalium ita donatarum summa *500. solidos* excedit, insinuanda est donatio *l. 36. §. fin. C. de donat.* modò plura jocalia simul donata tanti sint valoris, adeò ut donatio citra insinuationem haud valeat, etiamsi Notarius clausulam: *Quòd tot sint donationes, quot summæ, non excedentes 500. solidos* adjecerit, *arg. l. 34. §. fin. C. d. donat.* Julius Clarus *sentent. lib. 4. §. donatio qu. 17. n. 4.* à jure enim pro forma introducta est, adeoque illi à contrahentibus renunciari nequit Paul. Galleratus *d. renunciat. tom. 2. renunc. 20. n. 6. & 7.* & plus valet, quod agitur, quam quod simulatè concipitur *t. t. C. plus valere quod agitur.* Neque distinguitur Pater sit, an alius, qui donat, omnis enim donatio quingentos solidos excedens hodie secundùm dispositionem Justiniani coram judice *l. 30. C. d. donat.* actis insinuanda est, *§. 2. Inst. d. donat.* etiamsi inter personas invicem conjunctas celebrata fuerit *d. l. 27. C. d. donat.* *Q. Num mediante juramento facta ad tantam summam donatio valeat, si omissa fuerit insinuatio? Negantur,* quia in hominis privati arbitrio non est, id, quod à jure publico introductum est, facto suo mutare, nec juramentum nullitatis defectus supplet *l. 5. C. de legib.* Gail. *lib. 2. obs. 61. n. 6.* Carpzov. *decis. 190. n. 22. & p. 2. c. 12. d. 14.*

§. V. Donatio, quæ fit à *Marito*, peragitur vel *ante* nuptias, vel *post eas* & iterum vel *durante festivitate nuptiarum*, vel *constante matrimonio.* Neuenhan. *tract. de jure viduitat. membr. 2. section. 2. lit. 6.* Si ante nuptias Sponsus Sponsæ suæ dat jocalia, v.g. armillas, inaures &c. fit hoc vel in signum arrhæ, ceu ob evidentiorem negotii gesti probationem *l. 35. princ. ff. d. contrah. emt. & vendit.* Carpzov. *p. 3. c. 11. d. 12.* & per ejusmodi arrhationem in sponsam transfertur rei datæ possessio, & quidem civilis *arg. l. 13. §. 1. ff. d. publ. in rem act.* & dominium; quod non tantùm exinde apparet, quod passim in jure nostro Arrha dari & data dicatur *l. 35. pr. ff. d. contrah. emt. & vendit. l. 11. §. 6. d. act. emt. l. 15. C. d. sponsal.* dare autem proprie est, dominum transferre *l. 75. §. 10. ff. d. V. O.* sed præcipuè probatur ex *l. 11. §. 6. ff. d. act. emt.* ubi JCtus ad Arrham repetendã danti non concedit rei vindicationem; quæ ipsi

D 2 omni-

198

omninò competeret, si adhuc dominus esset *l. 23. pr. in fin. d. R. V.* D. Lauterbach. *d. arrha th. 61.* D. Præses *d. annulo pronub. th. 32. vel* dantur jocalia non istius signi seu probationis causa, sed spe futuri matrimonii amoris & benevolentiæ gratia, qualis donatio in specie dicitur *Sponsalitia Largitas*, seu munus sponsalitium Perez. *in C. d. don. ant. nupt. n. 21.* nec solùm apud Romanos talis donatio fuit in usu, verùm etiã de hujus sponsalitiæ largitatis more in Germania testantur DD. Carpzov. *p. 2. c. 13. d. 19.* ait: *Etenim si conjuges sibi invicem ante nuptias quid donent, velati catenas, armillas, annulos, uti in Germania fieri solet, hæc donatio subsistit. add. Idem p. 3. c. 19. d. 14.* Si pactum inter Sponsos sit initum, ne ad donantem ullo casu redeat donatum, irrevocabiliter acquiritur donatariæ, quamvis nec copula nec osculum intercedat, & ejus culpa matrimonium non sequatur *l. 6. vers. igitur ff. d. donat.* Sanchez. *d. matrim. lib. 6. disp. 18. n. 1.* & hæc donatio pura, simplex & absoluta est donatio, nec in tempus matrimonii, quod leges prohibent, refertur Sanchez. *d. l.* Si nullum tale pactum intervenerit, distinguimus cum D. Bartili *dissert. d. Sponsalit. largitat. th. 40.* An matrimonium cujus gratia donatio facta, secutum, an vero non. Si prius facta est per conventionem, an per rei traditionem. Si per conventionem, iterum distinguendum, an pacto sit facta, an stipulatione. Si stipulatione, actio competit ex hoc contractu *l. 4. C. d. donat. ant. nupt.* Sin pacto, tunc ad consequendam donationem hodie donatariæ datur condictio ex lege *arg. l. 35. §. f. C. d. donat.* Si per traditionem facta est donatio, aut donator donavit & tradidit rem propriam, aut alienam. Si rem propriam; aut simpliciter tradidit rem donator, vel ita, ut dominium ejus transferatur, matrimonio demum subsecuto. Posteriori casu, donatio non valet, quia confertur in tempus matrimonii, ut tunc demum sit perfecta, quando matrimonium est subsecutum, cujusmodi donationes non valent *tot. tit. ff. d. donat. int. vir. & ux. l. 4. C. d. donat nupt.* ibi Gordianus Imper. *Quod Sponsæ ea lege donatur, ut tunc dominium ejus adipiscatur cum nuptiæ fuerint secutæ, sine effectu est.* Vel Sponsus dat sponsæ jocalia honoris causa, Wenn ein Bräutigam seiner Braut / alldieweil sie in den Breutstand ist / was giebet und verehret. Myler. *in Gamolog. personar. Imper. illustr. cap.*

c. th. 6. ejusmodi ornamenta seu jocalia data, quando Sponsus nullam causam exprimit, nō pro arrha, sed potius pro donatione sponsalitia censenda sunt Sanchez. *tract. de matrim. lib.* 1. *disp.* 35. *n.* 1. *in fin.* modò Sponsus sit nobilis vel dives, aut consuetudo loci talem donationem requirat, aut aliæ donationis conjecturæ concurrant; aliàs his deficientibus, usus tantùm gratiâ data vel transmissa videntur ornamenta illa, ut scilicet ornatior sponsa incedat. Nec in dubio regulariter donatio præsumitur *arg. l.* 25. *ff. de probat. l.* 7. *pr. ff. d. donat.* Joh. Petr. Surdus *decis.* 166. *n.* 26. *& seqq.* Lauterbach. *dissert. d. arrha cap.* 7. *th.* 75. Alii tamen distingunt inter *jocalia modica & magna* à sponso sponsæ transmissa. Si jocalia sunt exigui pretii, præsumitur donatio propter conjunctionem, amorem & benevolentiam, quæ est inter sponsum & sponsam *arg. l.* 47. *ff. d. donat. int. vir. & ux. & l.* 12. *ff. d. impens. in res dot.* & ita Joh. Frider. Sol. *tract. d. bon. constant. matrim. acquis. quæst.* 2. *n.* 4. dicit: *Ornamenta levia & quotidiana fiunt sponsæ & ejus heredis propter osculum & in virginitatis compensationem cum in illis non possit capi alia conjectura, quàm donationis* add. Menoch. *cons.* 401. *n.* 185. Si verò Sponsus jocalia prætiosa transmittit sponsæ, donatio nón facilè præsumitur, qui quando alia conjectura capi potest, præsumtio donationis excluditur, Mantic. *d. tacit. & ambig. convent. l.* 20. *t.* 1. *n.* 19. Certè, si consuetudo loci ita est, quòd mariti, antequam uxores ad domum propriam ducant, jocalia mittere soleant, quod si non facerent, verecundia esset, & ab omnibus redargueretur, donatio non censetur; quod enim ob pudorem verecundiæ fit, necessariò fieri dicitur, & in necessitatibus nemo liberalis prsumitur *l.* 18. *ff. d. adim. legat.* Nimia ista jocalia, quæ modernus abusus induxit, donata non censentur, quia nemo cum damni enormitate substantia sua abuti velle creditur, ut loquitur Marte Neapolit. 3. *digest. tit. donatio propter nuptias cap.* 5. Unde conlcudunt DD. quòd licet sponsus tempore sponsaliorum traderet sponsæ jocalia quæ uxoris causa comparasset, ille tamē non præsumantur donata, sed in spem futuri duntaxat matrimónii concessa, vid. Thom. Sanchez. *d. matrim. lib.* 6. *disp.* 25. *n.* 28. Nisi sponsa priùs donaverit sponso, & postea sponsus miserit sponsæ jocalia, tunc præsumitur donatio remunerationis causâ *arg. l.* 12. *§.* 8. *ff. mandat.*

§. VI. *Post nuptias* & quidem durante adhuc festivitate seu solennitate nuptiarum sponsus ex liberalitate pro opera nocturna uti Sichard. *ad rubric. C. d. donat. ant. nupt. n. 12.* loquitur, seu in primi complexûs vel noctis remuneratione & præmium pudicitiæ & virginitatis interfectæ ac amissæ jocalia nuptæ offert, prout ex L. Apulejo *libro 6. metamorph.* probat Cypræus *d. sponsal. c. 13. §. 4.* Et donum gratiosum Molin. *consil. 52. n. 34. tom. 1.* virginitatis præmium ex Scip. Gentil. Wehner *in pract. observ. voc.* Morgengab *in fin.* primæ noctis pretium Cujac. *c. feud. c. 9.* & *ἀνακαλυπτήριον* sive *θεώρετρον* Græcis vocari consuevit, Giphan. *ad l. 1. C. d. dot. promiss. col. 1. p. 390.* Nostrates eine Morgengab vocant & discribunt, eine Morgengab ist eine solche Gab / die ein jeglicher Mann von Ritters-Art seinem Weibe giebet / es Morgens / wenn Er mit Ihr zu Tische gehet / Landrecht *lib. 1. art. 20. in pr.* gl. in Lehnrecht *cap. 51. n. 3. vers.* Morgengabe ist / gl. in Weichbild *art. 22. in pr. n. 2. vers.* die andere Gabe / Rotschitz *d. pact. dotal. art 16. n. 1.* à JCtis Neapolitanis vocatur pretiũ sanguinis & pudicitiæ Franchis *decis. 503.* Mastrill. *decis. 283. n. 66.* Et Hispani Anton. de Pudilla Menes *ad authen. res quæ n. 31. C. commun. de legat.* Joan. Dexart. Catarit. *decis. Sarden. 92. n. 1. & 2.* scribunt, quòd hæ arrhæ morganaticæ mulieribꝰ donentur propter detrimentum deperditæ virginitatis & prostratæ pudicitiæ, quod illæ patiuntur. Quamvis dicta ratio non omnimodo placet Joach. Mynsing. *Mynsing. Resp. 43. n. 24. vers. ad quartum verò.* Multò minus Thomæ Sanctio: Qui scribit: *Pudicitiam, quam Uxor Viro prostituit, non esse consideratione dignam, ut remuneretur, quia frustraneum esset matrimonium, nisi Uxor pudicitiam Viro prostitura foret.* Ast hanc rationem latius exornat Petrus de Gregorio teste Mylero in Gamalogia *personar. Imper. illustr. cap. 15. th. 7.* Quod Dotarium constituatur uxori ratione osculi & pudicitiæ ac virginitatis amissæ, quasi tunc uxor corrupta & effecta, si vidua fiat, sit deterioris conditionis, ut egeat majori quantitate dotis, quò secundo nubere possit: Et ideò in augmentum dotis, ad supplendam deteriorem conditionem uxoris, ratione virginitatis amissæ, dotarium in primis nuptiis tantùm constitui consuerit. Et hoc per textum *in l. 24. C. d. donat. int. vir. & uxor.* Unde Doctores dicunt: Sponsalitium, seu Donum hoc matu-

matutinale uxori non ex causa lucrativa, sed ex causa onerosa deberi: Sicuti in supremo Sardiniensi Regio Prætorio judicatum fuit teste Joan. Dexart. Clara vit. *decis. 92. n. 1.* Estque ut plurimum catena aurea vel aliud quoddam jocale pretiosum Landrecht *d. l.* Carpzov *p. 3. c. 33. d. 20.* Philipp. *in us. pract. Instit. lib. 2. eccl. 39. n. 2.* Et hæc antiqua tàm Longobardorum & Suevorum, quàm Saxonum consvetudo remunerandi *novas nuptas*, inter *illustres* aliosve *Equestris ordinis viros* Imperii Romano Germanici teste Mylero *d. l. th. 3.* invaluit, & ad hunc usque diem in Germania tam sanctè observatur, ut quamprimùm in pactis nuptialibus de dotalitio Virginis illustris agitur, sponsus simul & conjunctum quoque certum quid pro munere matutino promittat & stipuletur, Et quidem plerumque hisce ferè formalibus: Und haben wir Hertzog Engelbert ferner gelobet und versprochen / Frauen Engeltrudis / unserer Gemahlin / zu einer gewöhnlichen Morgen-Gabe / ein Fürstl. Kleinot / neben vier tausend Reichs-Gülden zu verehren / welche Summa Geldes / gleich nach beschlagener Decken / Ihr geschaffen werden solle / und damit nach ihrem Willen und Wohlgefallen zu disponiren und frey eigenthümlich habend zu gebrauchen. *Num autem Viduæ Sponsæ munus antelucanum debeatur?* Dubium alicui moveri posset, quòd detur in præmium amissæ virginitatis, quæ ratio in vidua cessat, Covarr. *d. matrim. part. 2. cap. 3. §. 7. n. 14.* Affirmativum tamen defendit D. Mylerus *d. l. cap. 16. th. 6.* quia donum matutinale non præcisè datur in præmium virginitatis, sed etiam ex qualibet alia causa, puta honoris, nobilitatis, dignitatis, vel in remunerationem rei donatæ Ludov. Roman. *cons. 146.* & datur à marito uxori ulterius in præmium & remunerationem pudicitiæ conjugalis, quod quadrat quoque in Vidua, quæ se agnoscendam tradit maritio.

§. VII. *Durante matrimonio* Maritum uxori inter vivos donare non posse constat ex *t. t. ff. & C. d. donat. int. vir. & ux.* excipiuntur tamen casus, quibus maritus validè donare potest, vid. D. Struv. *Syntagm. jur. civ. exerc. 30. th. 19.* de quibus *seqq. §. §.* agetur. Quæritur autem, *Si maritus uxori annulos puta gemmatos, catenasq; aureas vel alia jocalia ornatui muliebri unicè inservientia tradiderit, nihil jus de donatione expressâ appareat, Num quid*

ea uxori donasse credendus est maritus; an verò mortuo marito ea heredibus ejusdem restituenda esse dicendum est? Distinguit. Aut jocalia in usum quotidianum aut verò festivum concessa sunt. Illo casu donatio facta præsumitur *l. 18. ff. d. donat. int. vir. & uxor.* Hoc verò non item per *l. 5. ff. 10. l. 15. in pr. ff. d. donat. int. vir. & uxor.* cùm donatio nō præsumatur, ubi alia sumi potest conjectura vid. Wesenb. *tit. ad L. Falcid.* ut hîc, quod scilicet ornatus & honoris sui causa has res uxori maritus comparaverit, quò comptior & cultior incederet *d. l. 5. ff. 10.* Scipio Gentil. *lib. 2. d. donat. int. vir. & uxor. c. 12.* Alexand. *conf. 42. n. 4. vol. 5.* ubi dicit, quod vestes & annuli, qui sunt in usu quotidiano, non repetantur soluto matrimonio, nisi probetur dictos annulos esse festivos add. Jul. Clar. *sentent. lib. 4. ff. donatio quæst. 10. n. 3.* ubi hanc distinctionem in praxi observari tradit, quæ sententia placet, cùm hac ratione & luxui muliebri obviam eatur, & utilitati & saluti maritorum consulatur, sæpius enim fit, ut infelices mariti obsequentes ambitioni uxorum plus expendant pro earum ornamentis & luxurioso cultu quàm recipiant de dote, sed

Prodiga non sentit pereuntem fœmina censum.

ut inquit Javenal. *Satyr. 6.*

§. VIII. Donatio Jocaliū *mortis causa* inter conjuges benè fieri potest, text. express. *in l. si cum uxori 9. §. ult. ff. d. donat. int. vir. & ux.* quia donationis eventus in hoc tempus excurrit, quo vir & uxor esse desinunt *l. 10. ff. eod.* Dominic. Cardin. Tusch. *tom. 2. lit. d. concl. 691. n. 64.* res verò donatæ non statim ad uxorem, cui donatæ sunt transeunt, sed interim dominium earum apud donatorem remanet, & donatio morte demum confirmatur *l. 11. & seqq ff. d. donat. int. vir. & uxor.* Jure Saxonico ut donatio mortis causa valeat, insuper requiritur, ut autoritas Curatoris accedat, Zobel *p. 2. diff. 22. n. 14.* Coler. *decis. 12. n. 46. & seqq.*

§. IX. Jocalium donatio inter conjuges *reciproca* & *remuneratoria* subsistit *l. 7. ff. si vir. & uxor. 2. ff. d. donat. int. vir. & ux.* Brunnem. *ad l. 27. ff. d. donat. n. 4.* Franzk. *ad tit. ff. d. evict. num. 510.* modò ejusmodi donatio in continenti fiat, secus si ex intervallo, Gail. *2. obs. 40. n. 7.*

§. X. Quan-

§. X. Quando *Maritus senex* vel *Ignobilis* uxori juveni vel nobili Jocalia donat, donatio reciproca & mutua valet; quoniã uxor pro hisce jocalibus marito redonat juventam & nobilitatem gloss. *in l. si voluntate verb. petend. C. d. dot. promiss.* Gail. *lib. 2. obs. 40. n. ult.* Cardin. Tusch. *tom. 2. pract. conclus. lit. D. conclus. 631.* Tiraquell. *tract. d. nobil. cap. 18. n. 19.* Menoch. *lib. 3. praes. 12, n. 5.* Hoc tamen notandum esse, quod requiratur tanta inaequalitas, quae talem donationem mereatur, scribit Petr. Surdus *cons. 164. n. 36.* Qui talem donationem *d. l. n. 5 & 6.* in tantum valere asserit, ut licet maritus non dixerit, se in remunerationem juventutis & nobilitatis facere, tamen id in dubio praesumatur, ubi etiam adducit Joh. Lupum *in rubr. d. donat. int. vir. & ux. §. 31.* qui hanc sententiam communem esse scribit.

§. XI Donatio Jocalium *in festo nativitatis Chisti*, zum heiligen Christ/ valet inter Conjuges, quam donationem ex consuetudine in universo Christianorum orbe receptam rescindere & revocare omninò improbum esset, cùm haec donatio non tàm ex liberalitate, quàm potiùs ex pia congratulatione de Christo nato profecta censeatur Berlich. *p. 2. conclus. 15. n. 29.* Carpzov. *p. 2. c. 13 d 20.*

§. XII. Concessa etiam sunt *Xenia* & donationes Jocalium, quae fiunt *in uxoris die natalitia*, D. Neuenhan *d. jur. vidut. membr. 1. sect. 10. lit. C.* modò sint mediocres & conditioni uxorum congruae, secus si immodicae.

§. XIII. De *Jure Saxonico* donationem jocalium à marito uxori quocunq; modo & tempore factam valere minus dubii habet, Certissimum enim est, quòd maritus uxori Geradae nomine quid donare possit, quae donatio adeò valida est, ut mortis confirmatione non indigeat, sed res donatae, licet uxor ante maritum morti occumbat, unà cum caeteris speciebus ad Geradam pertinentibus ad proximãm cognatam perveniant. Landrecht. *lib. 1. art. 27. lib. 3. art. 38.* Weichbild *art. 23. in fin.* Goldbec. *de Gerada c. 7. memb. 4. n. 98.* Hartm. Pistor. *lib. 1. qu. 31 n. 11. & 37.* cùm verò supra *cap. 1. n. 3.* traditum sit: Jocalia ad Geradam referri non immeritò id quod in Gerada tanquam toto juris est, in jocalibus quoque tanquam parte locum inveniet. Inprimis circa ac-

quisitionem jocalium ratione donationis à viro factæ consuetudo cujusvis loci, nec non traditionis modus inspiciendus est, Gail. *lib. 2. obs. 91. n. 3.* Prout Amplifs. Facultatē Juridicam Francofurtanam anno 1679. mens. Maj. pronunciasse memorat D. Reimers *c. l. c. 5. n. 12.* Auf die Frage: Ob ihr die Ohr-Gehänge/ welche Defunctus von seiner Schwester ererbet/ die Frau aber consensu mariti zu sich genommen/ getragen/ und für das Ihrige gehalten/ als ein Geschenck zu consideriren? Erachten Wir/ Ob gleich Maritus gewolt/ daß Sie sich dergleichen Schleuffe machen lassen/ nachmahls auch/ da die ietzige Ihm erblich zugefallen/ Er selbe der Frauen/ zu ihrem freyen Gebrauch gelassen/ daraus eine præsumtio donationis zu entstehen scheinet; Weil aber dennoch eine donatio nicht præsumiret wird/ nisi liquidò de ea constet, welches fürnemlich inter Conjuges statt findet/ als unter welchen sonst die Donationes gar verboten. *t. t. ff. d. donat. int. vir. & uxor.* Die Frau auch Ihr selbst zu imputiren/ daß sie ihres Mannes Begehren nach Ihr dergleichen Schleuffe nicht machen lassen/ der nachmahls concedirte Gebrauch auch keine donationem inferiren kan (*vid. supra §. VII. huj. cap.*) quia recepta DD. sententia est, quòd Maritus res preciosas ad usum tradendo Uxori, non animo donandi, sed commodandi videatur dedisse, ut eò ornatior incederet, *arg. l. 5. §. 10. ff. commod.* ideoque heredes mariti talia repetere possunt, Joh. Campeg. *d. dote p. 3. qu. 55. n. 2.* Rol. à Valle *lib. 1. consil. 10. n. 12.* Menoch. *arbitr. quæst. lib. 2. cas. 218. n. 8.* Quod eò magis procedit, si maritus talia non comparaverit uxoris causa, sed aliunde ex hæreditate habuerit, ubi videtur tantùm commodasse Petr. Barbos. *ad l. 34. n. 75. ff. sol. matrim.* So halten wir dafür: Daß die Frau selbe an sich zu behalten nicht befuget sey; Es könte denn deutlicher erwiesen werden/ daß der Maritus animo donandi solche Schleuffen seiner Frauen überlassen; oder auch/ daß dergleichen „ observantz in Pommern hergebracht/ daß das jenige/ was von „ dem Marito der Frauen an Geschmeide übergeben/ derselben/ „ als Geschenck bey der Theilung für aus gelassen werde.

§. XIV. Et cùm *legata* donationes quædam sunt, jocalia quandoque leguntur, seu à defuncto relinquuntur ab hærede præstanda; Sic legatis *Kleinodiis* gemmæ quoque intellguntur, siqui

siquidem Ocdt majoribus nostris hæreditatem, patrimonium facultatesve significabat, indeque vocabulum Kleinoedt/quasi bona hæreditaria pretiosiora & subtiliora designare traditur, Besold, *in thesaur. pract. voc.* Edelstein. Et Dactyliothecis (seu annulorum capsulis, δακτύλιος enim annulus est, θήκη capsula seu arcula, ubi quid reponitur) si quos præterea annulos habuerit testator, illud legatum etiam annulos, in dactyliothecâ servatos continere dicitur in *l. 52. §. pen. d. legat. 3.* Attamen si simpliciter dactyliotheca legatá fuerit, inspiciendus erit testatoris loquendi stylus; si enim Dactyliothecæ appellatione simul annulos comprehendere solitus fuerit, etiam annulli legatæ dactyliothecæ cedunt; consuetudo enim Testatoris optimam voluntatis ipsius interpretationem præbet, Mantica *d. conject. ult. volunt. lib. 6. tit. 9.* E contrario annulis legatis dactyliothecam non cedere vult textus *in l. 53. §. 1. ff. d. legat. 3.* D. Reimers *d. l. c. 4. n. 39.* Q. Si ita dixerit testator: Der Sejx vermache ich meine Kleinoedt/*num margaritæ contineantur*? *Negat.* & ita Facultas Juridica Francofurtens. anno 1679. mens. Maj. pronunciavit: In dem communis usus loquendi die Kleinodien von zusammengesetzten Edelgesteinen verstehet/ und man von einer Schnur Perlen nicht wohl sagen kan/ daß es eine Schnur von Kleinodien sey. Si quis uniones & hyacinthos uxori legatas vivus adhuc in aliam speciem convertisset, ita tamen, ut forma pristina manserit, ut iisdem usibus res legata inservire possint, veluti si inaures, in quibus duæ margaritæ, elenchi & smaragdi duo erant, legasset, & postea elenchos iis detraxisset, legatum non exspirat; sed inaures nihilominus debentur *l. 32. §. penult. & ult. ff. d. aur. arg. mund.* cùm aliàs legatarius uniones & hyacinthos in aliam ornamenti speciem conversos petere nequeat, nec heres ornamento posteriori eximere & præstare compellatur *l. 6. §. 1 ff. d. aur. mund.* Simon de Prætis *d. interpret. ult. volunt. lib. 4. dubit. ult. circa Testator. disposit. Inspect. 3. n. 3.* Dn. Reimers *d. l. n. 47.* Quæritur. *Si fortè jocalia vel ornamenta uxoris causa comparata fuerint legata: utrùm ea quoque ornamenta, quæ promiscue viro & uxori usus fuêre, contineantur? Negatur, per l. 45. ff. de legat. 3.* Sichard. *in rubr. C. d. secund. nupt. n. 4.* Pariter nec ea, quæ maritus uxori exornandæ gratia à Judæis saltem

conduxit, sub ejusmodi legato continetur Simon de Prætis *d. interpret. ult. volunt. lib. 4. dubit. 10. circa legat. num. 17. in fin.* Quær. *Num jocalia legata ex feudo præstanda à Successore solvenda sint?* *Respond.* Si dos ex feudo solvenda est, ibi idem in cæteris expensis nuptialibus, Geschmucke / Kleidern und Hochzeit Geldern secundum praxin observari, tùm propter identitatem rationis, tùm quia sub voce Aussteuer illa in Statutis comprehendantur, testatur Mevius *p. 2. d. 120.* Quær. *Si quis aurum, gemmas & quæ in auro fuerint, legasset, num aurea suppellex, cui neque gemmæ, neque margaritha insunt, legata videatur?* Affirmat JCtus *in l. si quis legaverit 11. ff. d. aur. arg. legat.* non obstante clausula: *quæ in auro fuerunt*, quæ legatum ad solum aurum gemmis margaritisque exornatum restringere videtur.

§. XV. *Per universitatem* acquiruntur jocalia *Successione* quæ est vel *per testamentum* vel *ab intestato.* Illud tamen in foro Saxonico notabile est, quòd mulieri omnis facultas in testamento de Gerada, & sic etiam de jocalibus disponendi prorsus sit adempta, non quidem, ut jure Saxonico communi expressè illud dispositum reperiatur, sed quòd majoribus nostris quasi per manus traditum, longissimi que temporis usu confirmatum, Schneidevvin. *ad Inst. d. donat. n. 19. in pr.* Thoming. *decis. 6. n. 11.* & tandem *Constit. Electoral. 14. part. 2. pr. durf. testament.* expressè constitutum sit: rationem assignant DD. quòd quia cognatæ mortuâ muliere debere incipiat Gerada, inq; eâ ipsi, quamprimum animam mulier exhalat, jus quæratur, mulier de hâc tanquam re alienâ disponere non habeat. Si tamen mulier proximæ cognatæ consensum adhibuerit, potest uti de Gerada, ita & de jocalibus testari; hoc enim præjudicium consensu cognatæ tollitur, cùm favori pro se introducto renunciare *l. 41. ff. d. minor. l. 29. C. d. pact.* nec volenti injuria fieri possit *l. 34. C. d. transact. l. 203. ff. d. R. I.* Hujusque consensus uti pro forma & solennitate actûs non requiritur, sed saltem respectu commodi ejus, qui confirmat, adhibetur, quocunque tempore tàm ante quàm post actum præstari valet *l. 1. § 12. ff. quod legat.*

§. XVI. *Contractus* quod attinet, nihil hîc peculiare est, nisi quod mulier jocalia acquirere possit v. gr. à cognata, sub con-
ditione

ditione retrodonandi, vel retrovendendi, vel si non nupserit, vel si donatrix seu quæ vendidit revaluerit, *l. 2. & 3. C. d. donat. quæ sub modo.* Quær. *Si mulier emerit annulum, cui gemmæ inclusæ sunt, num gemmæ simul venditæ censeantur? Respondet.* Licet gemmæ & aurum per se integra corpora sint, adeoque non conjunctim vendita censeantur *arg. l. 30. § 1. ff. d. usurpat. & usucap.* Nihilominus tamen gemmæ cum annulo, cui inclusæ sunt, constituunt corpus connexum, donec vel ex legis ut *in l. 6 ff. ad exhibend.* vel hominum sufficienti dispositione separentur, ut in *l. 17. ff. d. aur. arg. mund.* Videatur *l. 32. §. 1. ff. d. aur. arg. mund.* quæ hanc quæstionem affirmativè decidunt D. Reimers *d. l. n. 50.*

CAP. IV.

DE

USU ET ABUSU JOCALIUM

SUMMARIA.

§. I. Mulieribus, quò minus se ornare ac jocalibus uti possint, obstare videntur sacra scriptura & dicta Sapientiorum. II. Moderatus tamen jocalium usus à Legislatore in Republica concedi potest, uti is legibus permissus est. III. Immodica ornandi licentia & patrimonia ac facultates maritorum consumit, & paupertatis causa est. IV. Querela de luxu jocalium nova non est; De luxu annulorum testantur Martialis & Seneca. De Flandris Burgundiis. V. Quid Basilius Magnus à luxu talium dehortans, & Boethius. VI. Magis de interno quàm externo ornatu ac cultu laborandum est mulieribus: VII. Ornamenta nimia sine suspicione libidinis non solent esse. VIII. Inter civitatis ægræ indicia ornamentorum muliebrium luxuriam prudentes quique censuerunt. In Germania nostra luxus valdè invaluit. IX. Latæ sunt in Republica Roman. German. leges circa luxum ornamentorum muliebrium tàm Universales quàm Speciales seu Provinciales. X. Judicia quorundam, qua ratione commodè abrogari possit luxus jocalium.

§. I. Mu-

§. I.

MUlieribus, quò citra vituperium uti possint ornatû cultuque, ut elegantiores sint, obstare videtur autoritas sacrarum literarum *4. Reg. cap. 9.* ubi loquitur de Iezabel muliere pessima: Porró Iezabel introitu ejus audito, depinxit oculos suos stibio, & ornavit caput suum. & *Gen. 38.* Judas suspicatus est Thamar ex ornatu esse meretricem. Paulus 1. *ad Timotheum cap. 2.* mulieres orate in habitu ornatu, aut (ut alii vertunt) in amictu modesto sive honesto: nam & id significat græca dictio κοσμίῳ, Et loco interpretationis subdit verba: Cum verecundia & sobrietate ornantes se, & non intortis crinibus, aut auro, aut margarithis, vel veste preciosa Gregorii Nazianzeni versus extant elegantes ui ex versione ita se habent:

Ne capita turrificate adulterinis crinibus mulieres
Mollientes mollia colla ex specula.
Neque Dei formas inungite coloribus turpibus,
Ut personas & non facies feratis.

Imò mulieribus formosis multum ornatum non modò nihil conferre videtur ad augendam pulcritudinem, sed contra adversari potius: quandoquidem illorum, qui fortè eas aspiciunt, unusquisque auro & lapillis pretiosis obstupefactus, relictis colore, vultu, cervice, cubito, alioquin laude & admiratione dignis, ad sardam, vel smaragdum, vel monile, vel armillas respicit, Tiraqu. *ad l. connubil. p. 3.*

§. II. Iis tamen non obstantibus *moderatum* ornamentorum seu jocalium usum mulieribus in Republica concedi posse & in Romana mulieribus ab ipsis legibus permissum esse ab ipsis legibus, viris verò expressim prohibitum constat ex *l. 1. C. nulli licere liber. 11.* Sic *paragandas*, id est, fascias aureas vel sericas auro intertextas, non licuit aliis contexere, quàm gynæciariis *l. 1. C. d. vestib. holober. lib. 11.* ita nec viris gerere licet in tunicis vel lineis, nisi quis sit in Ministerio Principis, & ei Imperator hoc concesserit *l. 2. C. eod.* & Valerius Maxim. *libr. 2. titul. 1.* scribit: Sancitum fuisse à Roma, ut fœminæ purpurea veste & aureis segmentis uti possent. In qua re, inquit Tiraquell. *in l. 3. connubial. gloss. 1. part. 3.*

part. 3. Romani ut plerumque aliàs, prudentissimi exstiterunt, qui nulla alia re magis, quàm auro, argento, purpura, & cætero ornatu uxores in suam ipsorum sententiam traducere, sicque abstemias efficere potuerunt. Probè siquidem mulierum cupiditatem noverunt, quarum imperfectissimus affectus semper in vestibus, semper in auro, semper in lapidibus pretiosis, & ornamentis extrinsecis gloriam ponit, ut scribit Hieronym. *in regul. Sanctimonial. c. 28.* Seculi virgines ut sponsis placeant, eosque in amorem sui magis incitent, mira se solicitudine formare student, & naturalem corporis pulchritudinem ornandi arte commendant.

§. III. Immodica verò ornandi licentia non solùm patrimonia & facultates maritorum olim pessundedit, sed etiam hodiè luxus iste paupertatis causa est. Graviter Divus Ambrosius *in libr. ad Nabuthe Israelita c. 5. Delectantur*, ait, *compedibus mulieres, dum modò auro ligentur: non putant onera esse, si pretiosa sunt: non putant vincula esse, si in his thesauri coruscent: delectant & vulnera, ut aurum auribus inseratur, & margaritæ dependeant: habent & gemmæ pondera sua; habent vestimenta frigora sua. Sudatur in gemmis, algetur in sericis; tamen pretia juvant: & quæ natura aversatur, commendat avaritia: Smaragdos, & hyacinthum, beryllum, achatem, topazion, ametystum, sardam, summo quærunt furore, vel si dimidium patrimonii petatur. Non parcunt dispendio, dum indulgeant cupiditati.* Filia matrem, filiam ancilla æmulatur. Sic eò res rediit, ut denique cum Biante omnia sua secum portent. Sæpè enim & avita prædia, & domum, in qua defecit, minor crevit, majorum imagines fulgebant *l. 22. C. d. admin. tut.* satis lugubri exemplo obsorbet hæc charybdis Magnif. D. Struve *diss. de eo quod justum est circa vestit. civium. sect. 6. th. 49.* add. Zorer. *part. 2. quæst. 18.*

§. IV. Neque querela de luxu jocalium nova est; olim luxum annulorum adeò inolevisse, ut etiam omnibus digitis gestarint, testatur Martialis *lib. 5. Epigr. 62.*

Per cujus digitos currit levis annulus omnes.

Imò verò uno digito plures. Idem Martialis de Charino *lib. 11. epigr. 60.* & Seneca *6. d. benefic. 9.* ait: Non satis muliebris insania viros subjecerat, nisi bina ac terna patrimonia auribus singulis pepen-

prependiſſent. Pari vanitatis contagio id in Flandris ſuis contigiſſe eleganter ac graviter indignatur Nicol. Burgundius *elegia* ad Daniel. Heinſium, ubi poſt alia:

Flandria cum primum concluderet oppida muris,
Et populus ſimplex, & rude vulgus erat.
Nulli marmoreis ſurgebant molibus ædes
Materiamque operi proxima rura dabant.
Nec fuit argilla pudor obſtruxiſſe penates,
Aut in ſtraminea conſenuiſſe caſa.
Claraque Nobilitas ſperto diſcrimine pompæ,
A populo ſola laude remota fuit.
Vixque ſatis notum fuerat quid gemma valeret,
In pretio pannus telaque vilis erat.
At poſtquam audaci percurrimus æquora puppe,
Et quas neſcierat Belga ſtupebat opes,
Luxuriæ patefacta via eſt, ſenſimque parentum
Simplicitas vitiis fecit abacta locum.
Partenope nebulas, Coasque Liguſtica veſtes
Intulit, & fucos Gallia compta ſuos.
Nec ſatis ad faſtus in noſtro invenimus orbe
India tentata eſt, & nova damna dedit.
Serica nunc etiam cæpit quoque vilis habere,
Atque in plebeja luxuriare domo.
Villica calloſos artus præcingitur auro.
Nobilis, in dubio eſt, hæc ſit an illa nurus.
Quotque vides gentes, totidem diſcrimina veſtis,
Inque novas formas quilibet annus abit.
Obruimur cultu, nec quo matrona tegatur
Sufficiunt agiles annua lucra manus.
Fœmina circumfert totos in corpore cenſus,
Et quiſquis genio ſubtrahis, illa terit.
Arctaque paupertas lariumque anguſta ſuppellex,
Auratis tunicis diſſimulata latent.

Vi

Vidi ego, quæ tereti suspenderet aure lapillos,
Ex hasta solam vivere semper aqua.
Vidi ego, quæ facere furtivos fornice quæstus,
Verrere ut heroo syrmate posset humum.
Ducite nunc iterum juvenes sine dote puellam.
Nil nocet: absentes corpore quæret opes.

§. V. A luxu jocalium dehortantem audiamus Basilium Magnum qui ὁμιλίᾳ πρὸς τοὺς πλουτοῦντας ita loquitur: *Quid attonitus aurum miraris? Lapis est aurum, argentum lapis, margarita lapis, lapides sunt Chrysolithus, beryllus, archates, hyacinthus, amethystus, Jaspis. Hi sunt flores opum magnarum. Hos partim, cum sint clarissimi, in tenebris abscondis; partim in digitis micantibus alijsque in ornatibus circumfers. Dic quæso, quæ utilitas digitos vertere lapillis coruscantes, atque ostentare?* & Boethium *lib. 2. d. consol. Philosoph. An gemmarum fulgor oculos trahit? Sed si quid in hoc est splendore præcipui, gemmarum est lux illa, non hominum: quas quidem mirari homines vehementer admiror: Quid est enim carens animæ motu atq; membrorum compage, quod animatæ rationabiliq; naturæ pulcrum esse jure videatur?*

§. VI. Magis ergo de interno, quàm externo ornatu ac cultu laborandum est mulieribus. Ita habet Senarius ille:

γυναικὶ κόσμος ὁ τρόπος, κ' οὐ χρυσία.

Id est, ad verbum:

Mulieri ornamentum mores, & non aurum,

Emphatice Tertullianus *libr. d. cult. fœmin.* ait: *Prodite vos jam medicamentis & ornamentis instructæ Apostolorum: sumentes de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundiâ & spiritus taciturnitate; inserentes in aures sermonem Dei, annectentes cervicibus jugum Christi; caput maritis subjicite, & satis ornatæ eritis. Manus lanis occupate, pedes domi figite, & plus quàm in auro placebunt. Vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpura pudicitiæ. Taliter pigmentatæ Deum habebitis amatorum.* Et Chrysostomus *homil. ad populum Antiochenum 21. Vis*, inquit, *ornare faciem? non Margaritis, sed modestia, & honestate: si que vir gratiorum cernet aspectum.*

F §. VII. Nec

§. VII. Nec est de nihilo, quod vulgus suspicatur: Ornamentum istum nimiū non sine suspicione libidinis esse, quòd scilicet fœminas ad eā inviter. Clemens Alexandrinus *lib. pædag. 2. c. 2.* ornandi studium majus vitium esse, quàm ebrietatem statuit. Et ob mundiorem justo cultum suspectam factam esse pudicitiam testatur Petr. Gregor. Tholosan. *Syntagm. lib. 9. c. 19. n. 9.* ut proinde non sine ratione Stobæus *sermon. 83.* moneat: *Si mulier superfluo vestitu & luxu non fuerit vestita, amores illegitimi eam non sollicitabunt, sed marito proli totique familiæ amica erit: Nam quæ lectos alienos amat, omnia Domestica odit, tum liberos tum, famulos: Hac otium amat, ab hac exitium rebus omnibus nascitur, quas & ipsa & maritus communes habent; Et ut brevi dicam: Omnia ferè mala ex hoc superfluo vestitu (ornamentis) eveniunt: Multa enim se prostituunt, ut veste serica utantur; Non paucæ destruunt patrimonium virorum in his superfluis; insidiantur aliæ viris suis nolentibus novas vestes (nova jocalia) præbere.* Petr. Rebuff. *ad Constit. Regn. Gall. tract. d. pann. aur. pr. n. 19.* adde *prooemium huj. dissertat.* Apud Terentium adolescentes illi ex sordibus & negligentia cultus ancillæ colligunt argumentum pudicitiæ dominæ.

§. VIII. Quoniam verò inter civitatis ægræ indicia vestium, & ornamentorum muliebrium luxuriam prudentes quique censuerunt, Senec. *ep.* 114. Sumtuariis legibus etiam circa jocalia opus est. Nam nec luxus solùm aut prodigalitatis, sed dignitatis munerum & ordinum inter Cives, h. e. Imperantes & Parentes externâ quadam Conditionis notâ ratio habenda est *arg. l. 15. §. 1. ff. d. usufruct.* Recess. Imper. d. anno 1500. Nachdem ehrlich / ziemlich und billich / daß sich ein ieder / was Würden und Herkommen er sey / nach seinem Stande / Ehren und Vermögen trage / damit eines ieglichen Standes unterschiedliche Erkändniß seyn möge. addat *Reformat. Polit. d. anno 1577. tit. 9.* Cùm in *Germania* nostra luxus valdè invaluerit, leges sumtuariæ latæ sunt, quæ valdè necessariæ fuēre. Verè Forstner. *ad lib. 3. Annal. Tacit. p. 495.* ait: *A serico perventum est ad aureas & argenteas vestes; ab his ad texta serica, quæ margaritæ & varii operis lapilli per suos colores distributi. Quid catenas dicam & gemmea cingula, & adamantinas fibulas, & bina ternaque patrimonia mulierum auribus pendentia? Digna Principibus imò necessaria cura fo-*

rēt,

ret, providere, ne dites familiæ, aut claritudine insignes studio magnificentiæ prolabantur. Sed opinor ex aliorum inopia securitatem sibi conciliari persuasum esse Principibus. D Præses *dissert. de Causis Honorum sect. 5. th. 12.*

§. IX. Latæ sunt leges in Republ. Romano Germanicâ circa luxum muliebrium ornamentorum seu Jocalium tàm universales, quàm speciales seu provinciales. Illuc spectat Ordinatio Politica de anno 1530. tit. von unordentlicher und köstlicher Kleidung & seqq. & Reformat. Polit. d. anno 1548. tit. 13. von Graffen und Herren: ibi: Ihre eheliche Gemahl mögen alle selben Gewandt mit Gülden und Silbern Stücken verbrämet tragen/doch keine Ketten oder Kleinod / über 600. Gülden werth / de Nobilium uxoribus eod. loc. *tit* 11. disponitur: Item mag eine Edelfrau eine Ketten/ desgleichen an Häfftlein / Halsband/und andern Kleinoden/ausserhalb der Ringe / auff 200. Gülden werth /, und nicht darüber an ihr tragen. & *tit.* 12. de Doctorum uxoribus sancitur von Doctoren: ibi: Desgleichen sollen und mögen die Doctores und ihre Weiber / auch Kleider / Geschmuck und Ketten/ güldene Ringe und anders ihrem Stande und Freyheit gemäß/ tragen. Licentiati quoque Doctorum privilegiis gaudent, Ordinat. Regiment. d. anno 1500. rubr. Wie zwantzig Persohnen in das Regiment genommen sind / in fin. ubi dicitur: Die andern sechs Persohnen die von der Ritterschafft/ Doctoren oder Licentiaten &c. D. Præses *d. l. th. 11.* Opificum fœminis annuli aurei, sed gemma carentis usus permissus est, dict. Ordin. Polit. de anno 1530. tit. von Bürgern und Einwohnern. §. Dergleichen sollen. Rusticorum fœminis corallorum, nedum gemmarum, usus omninò interdictus d. Ordin. Polit. d. anno 1530. tit. von den Bauer-Leuthen §. Deßgleichen ihren Weibern. Speciales seu Provinciales Ordinationes variæ extant, præsertim Ordinationes Vestiariæ, Kleider-Ordnung / quæ luxum ornamentorum muliebrium cohibent, uti sunt Augustana, Norimbergensis, Hamburgensis, Coloniensis, Argentenses ac Aliæ. & novissimè in anno 1678. Ordinatio Provincialis Magdeburgensis, tit. von Policey Sachen/ Kleider-Ordnung 2. Classe/ ibi: absonderlich deren Weiber und Kinder / welchen bey Straffe Dreyssig Thaler/ durchgehend zu

tragen verboten wird : Cleinodien / Ohr-Gehänge / gantzer Diamant- und Rubiner-Schmuck / gute und falche Perlen auff Kleidern / gantz Gold- und Silberne Stück / &c. De virginibus aliquid peculiare in Reformat. Polit. zur Augspurg. 1630. sancitum est, ut illæ dum adhuc in capillo fuerint, possint elegantioribus pretiosioribusque uti ornamentis, quàm ipsarum Parentes. ibi: Desselben gleichen ihren Weibern und Kindern darüber nicht zugestatten / welchen auch alle Kragen &c. &c. anzutragen verbothen seyn sol / Allein mögen ihre Töchter und Jungfrauen ein Haar-Bändlein von Seiden tragen / Item. Desgleichen die Jungfrauen ein Sammet Haar-Bändlein mit Silber / unvergüldeten Beschlags tragen mögen. Item ihre Töchter und Jungfrauen mögen tragen ein Haar-Bändlein von 10. Gülden werth. De Statuto Vestiario lege Draconem *de Patricii. p. 276.* von grossen Güldenen Haar-Hauben mit Flinderlein / tremulis lamellis suis quasi ipsum Solis fulgorem prævocantibus vid. Tobias Oelhaffen *in Moneta Dea. orat. 5. p. 163.*

§. X. Qua ratione luxus ornamentorum commodè abrogari possit, varia sunt Politicorum monita. Sunt qui volunt præter leges ab Imperantibus vel latas vel ferendas, Hosmet Ipsos quoq; exemplo suo frugalitatis esse debere, juxta Claudian.

-- -- -- Componitur orbis
Ad exemplum : nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quam vita regentis

Præterea ornamentis pretiosioribus tributa imponant, uti in Belgio, teste Bornitio *d. ærario lib. 4. cap. 2.* moris est, Güldene Stück / Passament, Perlen und dergleichen soll niemand tragen / wo er nicht zu erst die Accise darvon bezahlet. Quod si, ut olim Ephesii fecerunt, in universo Imperio lex poneretur; Ne viri & mulieres ad decennium gestarent aurum, quantum verò in præsentiarum haberent, Imperio mutuarent. Obrecht. in Politischen Bedencken *p. 49.* Besold. *in thesaur. practic. voce* Güldene Stück. Ac ratione ornamentorum pretiosorum, quæ non oportet vulgaria esse, statui debere, non esse audiendos institores mercatoresque, si in diem hasce merces crediderint illis, qui in proprios usus

easdem.

easdem convertere voluerint. Dn. Schook. *d.legib. vestiar. aphorism.9.* Quorsum tendit Eminentissimi & Serenissimi Postulati Administratoris Archi Episcopatus Magdeburgensis & Ducis Saxoniæ AUGUSTI Constitutio in Ordin. Polit. cap. 18. in ordinat. vestiar. in fin. Daß zu denen Schulden / so von geborgeten Kleidern / Gewandt / Ringen / Cleinodien &c. herrühren / ungeachtet die Creditores versichert / auch solche Posten in andere causas debiti transferiret / Ihnen darzu doch nicht verholffen werden soll &c. Necessum autem est, ut ejusmodi ordinationes sumtuariæ non solùm chartæ vel membranæ inscribantur pœnæque in iis definiantur, sed etiam, quod palmarium est, excutioni dentur.

CAP. V.

DE RELIQVO JURE JOCALIUM.

SUMMARIA.

§. I. Exhibetur conspectus capitis, quousq; varium jus se extendat. Jocalia sæpius dantur in argumentum fidei conjugalis; & quatenus id verum sit. Annulus ab amantibus dono datus non semper est conjugii symbolum. II. Quando vir vanè illudit fœminæ atq; donatione jocalium spem facit matrimonii, non repetit annulum aliaque jocalia, sed ea penes accipientem manent; Neque restitutione vel remissione jocalium contrahentes à sponsalibus recedere possunt. III. Jocalia pertinent ad Geradam. In quonam qualitas geradilis consistat. Si Jocalia à muliere non usûs vel ornatûs causa, sed vel negotiationis ratione, ut quadam mercatrice, pro bonis utensilibus non habentur. Sufficit autem destinatio ad ornatum, licet actu ad eum non usa sit. Si jocalia à marito vel expressè commodatò data, vel concessa quidem simpliciter, non tamen semper ipsi relicta, pro veris geradicis rebus æstimanda non veniunt. IV. Uxor vivo adhuc marito domina est jocalium geradicorum. V. De Jocalibus tanquam Geradâ uxor nihil præstat, ut satisfiat creditoribus mariti, neque principaliter, neque in subsi-

subsidium deficientibus aliis mariti bonis. Limitatio. Q. Si maritus jocalia geradica pro debitis oppignorasset, num mulier reluitione bonorum utensilium gravanda? VI. Tutor & curator non possunt jocalia alienare. VII. Nec pater. Limitatur. VIII. Qualis culpa sit praestanda, si sponsus vel maritus ornamenta sponsae vel uxori commodat, ut ipsa cultior incedat. IX. Q. Num sponsa, si de conducta corona sponsalitia ipsi modestè saltanti, gemmae deciderint, nullâ aliàs interveniente culpa, à Locatore possit conveniri? X. Jocalia in dotem dari possunt. & quidem aestimatò. XI. Filia tenetur conferre jocalia, quae accepit à patre. XII. Jocalia quae dantur arrhae loco liberis tempore sponsaliorum debent conferri. Limitatur. XIII. Uxor in Elect. Saxonic. debet conferre omnia sua bona; non autem jocalia. XIV. Num de Jocalibus solvenda sint collecta? XV. Successores feudi non heredes allodiales sumtus ob jocalia propter festivitatem nuptialem comparata erogatos sumtus solvere tenentur. XVI. Quid in delictis circa jocalia justum sit. Dolo vendentes gemmas falsas pro veris, quomodo puniantur. Quâ actione conveniantur gemmarum artifices, si gemmas vel jocalia vera non restituant, sed cùm meliora acceperint; alia viliora dolo malo supponant. Q. Si culpa artificis gemma pretiosa frangatur, artificis verò facultates damno, gemmis dato, resarciendo non sufficiant, num poena corporalis ipsi infligi possit? Cautela. XVII. Quando mulier jocalibus, blanditiis ac promissionibus inducta stuprum admisit, stuprator gravius puniendus videtur, quàm simplex stuprator. Q. Num ejusmodi stuprum pro violento sit habendum, ex eo, quòd blanditiae, promissiones & dationes munerum, & aliae ejusmodi fallaciae coactioni aequiparentur? Jocalium missio suspicionem facit adulterii.

§. I.

JOcalia in variis articulis juris adhuc conspicienda se sistunt. Vel enim exhibentur ad signum *affectionis* ejusque vel *simplicis* vel *conjugalis*; quo modo posteriori *probationis* instar sunt. Vel ut sunt res *Geradicae*; vel ratione administrationis & *prohibitae alienationis*; vel ratione *contractuum*; vel *Collationis*; vel ratione *Collectarum*: vel prout *ex feudis* sunt praestanda; vel prout circa ea in *delictis* quid justum; De quibus singulis videndum est. Quod primum concernit; dictum est supra *cap. 3. §. 4.* Jocalia

lia v. gr. annulum, catenas, armillas, *in argumentum fidei conjugalis* dari. Quò & allusit D. Ambrosius *a. Pass. Agnet.* verbis: *Discede à me, quia jam ab alio amatore sum praevente, qui mihi satis meliora te obtulit ornamenta, & annulo fidei sua subarrhavit me longè te nobilior, & genere & dignitate, ornavit me inaestimabili dextrochenio, dextram meam & collum meum cinxit lapidibus pretiosis.* quamvis datio annuli non sit de essentia sponsaliorum. Id tamen non sine distinctione accipiendum esse probat D. Praeses *d. annulo pronub. th. 16.* Scilicet ex sola porrectione annuli sponsalia uti nec contrahuntur, ita nec probantur; sed tunc demum, si vocibus lingua figuratis id exprimatur, vel si unà cum datione annuli non fiat mentio & promisso matrimonii, talem annulum non pro pronubo, sed pro simplici donatione habendum esse *c. illud X. d. praesumt.* Ut proinde inferatur: ex solo annulo non probari contractum matrimonii. Arnis. *d. jur. connub. cap. 3. sect. 1. n. 8.* Seu, quod idem est, annulum ab amantibus dono datum non semper esse conjugii symbolum, & solam munerum dationem esse signum aequivocum ad plura neque ob incertitudinem vel naturâ sui semper probat matrimonium, Mascard. *vol. 2. conclus. 1032. n. 4.* sed regulariter secundùm ea, quae expressè aguntur, vel secundùm ea, quae praecesserunt Panormitan. *in c. dua nobis 11. n. 7. d. desponsat. impub.* Usitatum enim est, adolescentes puellis adamatis vicissim illis jocalia & donaria mittere ad favendum & consolidandum affectum ἐρωτικὸν ut sit amoris aucupium; Talis fuit ille, quem Ovid. amicae suae dono dedit, *lib. 2. Amor. eleg. 15.* Imò amatores annulos & armillas amicis saepius detrahunt per lasciviam, uti *ex Terent. in Hecyr. act. 4. scen. 1. d.* Pamphilio constat:

Ipse eripuit vi in digito quem habuit, virgine abiens annulum.

Et ex joco quandoque dant annulum: Jocus autem consensui, qui ad matrimonium requiritur, est adversus *arg. l. 13. ff. d. oblig. & act.*

§. II. Ne autem, quando vir vanè illudit foeminae atque datione jocalium spem facit matrimonii, impunè id faciat, inductum est, ut reus conventus de jure non repetat annulum aliaque

que jocalia, ſed ea penes accipientem maneant, puniaturque à Magiſtratu pœnâ pecuniariâ, prout judicatum refert D. Præſes *d. l. 31.* Sin autem promiſſa & probata ſunt ſponſalia, ſicut promittentes ita ſint adſtricti, ut contrario diſſenſu, ſi fortè ſponſaliorum quem pœniteat, diſſolvi minimè poſſint, non licet annulum vel jocalia invicem reſtituere. Hinc incongrua eſt illorum opinio, qui ſibi perſuadent, quod non ſolũ uni parti, jacturâ jocalium, alterutro invito, ſed etiam ambabus, reſtitutis invicem jocalibus, integrum ſit à promiſſis ſponſalibus diſcedere; Falſum enim eſt præſuppoſitum, ac ſi jocalibus datis, hoc tacitè actum videatur, ut qui ea velit perdere, vel reddere, queat recedere. Si enim absque annulis ceu jocalibus, perfectis ſponſalibus, ab illis recedere non fas eſt, cùm fœdus matrimonii ſanctiſſimum non tàm à contrahentium conſenſu, quàm Dei autoritate & voluntate dependeat Carpzov. *part. 4. c. 20. d. 10. n. 7.* multo itaque minus ab iſtis diſcedere integrum erit, ſi non tantũmodo conſenſu, ſed & inſuper annulorum datione firmata fuerint facilioris probationis gratia, & ad futuram rei memoriam *l. 4. ff. de pignor. l. 4. ff. d. fid. inſtrum.* Illud autem, quod ad corroborandum additum eſt, in illius infirmationem vergere non debet, *arg. l. 19. ff. d. legat.* 1.

§. III. *Jocalia* pertinent ad *Geradam.* vid. ſupr. *c. 1. th. 3.* quæ eſt univerſitas quædam certorum corporum mobilium ad muliebris ſexûs, cui ſoli relinquitur, patrimonium de Jure Saxonico pertinens. Cujus forma eſt, ut poſſideatur à muliere. Qualitas enim Geradilis peculiaris jocaliũ ex ſolâ perſona acquiritur muliebri; ita ut ſolus ſexus faciat geradam, ſolus retineat, ſolus ad alias mulieres transferat. Landrecht *lib. 3. art. 15.* Poſſidere verò debet mulier civiliter ut domina, animo iſta ſibi habendi, iisque, ceu Geradâ utendi, non naturaliter Goldbeck. *Gerad. c. 3. n. 20.* Ex qvo notabiliter infertur, jocalia tanquam res qualitate ſuâ Geradicas, & à muliere detentas, ſi ab eâ non usûs vel ornatûs causâ, adeoque animo ſibi non retinendi iisq; utendi, ſed vel negotiationis ratione, quadam mercatrice, ut rurſus vendantur, vel aſſecurationis gratia pro pecuniâ creditâ ut quâdam creditrice fuerint poſſeſſæ, neutiquam pro bonis utenſilibus haberi debere Carpzov.

Carpzov. *p. 2. c. 14. def. 31.* Modò maritus jocalia ista usui uxoris concesserit, custodiæ illius semper reliquerit, nec ab uxore unquam receperit. Et sufficit destinatio ad ornatum, licet actu ad eum non usa sit; quemadmodum annuli in possessione mulieris reperti ad Geradam pertinent, licet illis mulier ad ornatum actu usa non fuerit, & ita Scabini Lipsienses anno 1630. pronunciarunt: So viel aber die güldene Ringe anlanget / weil den solche / wofern sie in der verstorbenen Frauen Gewehr befunden werden / ob sie gleich dieselben niemals angetragen / für Gerade billig gehalten V. R. W. Alias si jocalia à marito uxori vel expressè commodato data, vel concessa quidem simpliciter, non tamen semper ipsi relicta, pro veris Geradicis rebus æstimanda non veniunt; Nisi jocalia à marito ita concessa, uxor pro utensilibus possederit, tunc intra unum annum, sex septimas & tres dies, tanquam res Geradicæ præscribuntur, cùm de dicto Jure Saxonico omnes res mobiles hoc fatale agnoscant, Landrecht. *lib. 1. art. 28. lib. 2. art. 44.* Caveant ergò mariti, ne clavium neglectu ipsam supellectilis suæ negligant proprietatem: sed si quicquam mulieris usui commodaverint, justo tempore id rursus ad se recipiant, vel claves saltem, ceu possessionis sigilla ipsi custodiant.

§. IV. Jocalium, quatenus ea considerantur ut res Geradicæ, vivo adhuc marito uxor est *domina*, sive Nobilis sive Plebeja sit, cùm marito omnis disponendi facultas tàm inter vivos quàm mortis causa de istis rebus sit ademta, teste experientia Hartm. Pistor *p. 1. q. 31. n. 7.* uxorque vivente marito de bonis utensilibus disponere, & ea in alium transferre possit *Constit. Elector. p. 2. c. 13. d. 14.* ac uxor non tantùm mortuo marito, sed & vivo & ære alieno nimium gravato jocalia Geradica tanquam pro prium quoddam petere & vindicare valeat. Carpz. *p. 1. c. 28. d. 94.* Communem tamen rerum utensilium possessionem maritus habet, Mann und Weib seyn in gesamter Gewehr / Landr. *lib. 1. art. 31.*

§. V. De Jocalibus, tanquam Geradâ Uxor nihil præstat, ut satisfiat creditoribus mariti, neque principaliter, neque in subsidium deficientibus aliis mariti bonis Gloss. *in art. 24.* Land-

Landrecht *lib. 1. in verb.* Dieses ist geredet von der Form / quia, ut in thesi praecedenti dictum, Gerada est bonum aliquod uxoris proprium Matth. Coler. *p. 1. decis. 60. n. 54.* ubi *n. seq.* addit notabilem restrictionem, nisi maritus comparârit res ad Geradam pertinentes in fraudem Creditorum. D. Richter *d. privileg. Credit. cap. 3. sect. 1. n. 130. Q. si maritus jocalia geradica pro debitis oppignorasset, num mulier reluitione bonorum utensilium gravanda? Negat.* : Ne contra uxorem tanquam dominam vivo adhuc marito alienatio obliquè concedatur, quae directò prohibita est *l. avia §. Titio d. condit. & demonstr.* vel non domino disponendi de rebus alienis potestatem faciamus contra *l. 20. ff. d. acq. rer. dom.* Nisi pignus consensu mulieris sit contractum, eo casu viduae incumbit onus redemptionis Landrecht *lib. 1. art. 24.* ibique Gloss. etiamsi nudum consensum sine autoritate curatoris ad litem adhibuerit Goldbec. *d. Gerada c. 9. n. 88. & seq.*

§. VI. Tutor & Curator possunt quidem res mobiles pupillares alienare *arg. l. 7. §. 1. ff. de admin. tutel. l. 4. C. quand. decret. opus non est.* Jocalia tamen, utpote res pretiosas quae servando servari queunt, ac immobilibus comparantur Rauchb. *p. 1. qu. 26. n. 34.* absque speciali Magistratus decreto alienare nequeunt *l. 22. C. de administr. tut.* Finckelthaus. *obs. 48.* Ita pronunciavit Facultas Juridica Lipsiensis anno 1614. Ob nun wohl der Vormund diejenigen Gerade Stücken / so etwa wandelbar / und ohne Schaden nicht haben erhalten werden können / zu verkauffen / und das daraus gelösete Geld / dem Mägdlein zum besten / auff Zinse zu legen / befugt gewesen / Dennoch aber und dieweil / eurem anzeigen nach / viel kostbare Stück unter dieser Gerade gewesen / so dem Mägdlein zum besten hätten erhalten werden können / und die Obrigkeit solchen Kauff nicht bestätiget / So ist solche Kauff / so viel die kostbaren Stück an gülden und silbern Geschmeide antrifft / wegen Manglung der Obrigkeit ausdrücklicher Einwilligung / unkräfftig / und ist demnach der Vormund / solcher kostbare Gerade Stücke wiederum zulösen / oder den Werth derselben / eurem Weibe zu entrichten / schuldig. V. R. W.

§. VII. Pa-

§. VII. Pater, qui legitimus administrator est bonorum adventitiorum *l. fin. C. d. curat. furios. l. ult. C. d. bon. quæ lib.* Jocalia, quæ ad filiasfam. pertinent & adventitia sunt, alienare nequit, nec per venditionem Matth. d. Afflict. *decis. Neapol.* 393. *n.* 2. nec per donationem, cùm ea semper contraria sit administrationi *l. 7. pr. ff. d. donat. l. 1. §. 1. ff. quæ res pignor.* nec ex quacunque causâ Honded. *vol.* 1. *part.* 4. *cosult.* 72. *n.* 40. *& seq.* Vultej. *vol.* 2. *consil.* 26. *n.* 55. *& cons.* 25. *num.* 71. Nisi pecunia non suppetat, & sic ex *necessitate* e. gr. æris alieni ex defunctæ vel matris vel propinquorum, à quibus jocalia ista acceperunt, persona usurarum onere filiam prægravantis *l. fin. §. 4 & ibi DD. C. d. bon. quæ lib.* vel licet pecunia suppetat, si utilitas filiæfam. per alienationem promoveri, ac onus & damnum averti possit *d. l. fin. §. 5.* Qui casus si occurrant, solennitates debitæ debent adhiberi *d. l. fin. §. 5. verb. non tamen licentia. l. 4. C. eod. l. 1. C. de bon. matern.* Et demum ex justa & legibus fundata alienationis causa alienata retractari nequeunt. Illegitimè verò & nulliter facta, retractari possunt, ita ut filia omni jure ea vindicare possit, cùm ejusdem domina manserit *l. 15. l. 16. C. de præd. minor. l. 3. ff. d. R. V.* ut sic in integrum restitutionis beneficiô ad hoc non sit opus. Carol. Molin. *cons. 40. n. 27.* Hinc jocalia á tutore, curatore vel patre dono data secundæ uxori vel alicui alteri á filia revocari possunt Hartm. pistor. *obs. 190.*

§. VIII. Jocalia *commodatò* data restituenda sunt domino, ita tamen, ut si negligentia vel culpa sit admissa, ista præstetur, & quidem levis, imò levissima. D. præses *ad l. 23. ff. d. R. J.* quando verò sponsus vel maritus ornamenta sponsæ vel uxori commodat, ut ipsa cultior incedat, sponsa vel uxor præstat dolum tantummodo & latam culpam, quia suâ duntaxat causâ commodans commodasse censetur *l. 5. §. 10. ff. commodati.* Sturcius & D. Præses *ad d. l. 23.*

§. IX. Non inelegans quæstio est: *Num sponsa, si de conducta coronâ sponsalitiâ*, Von der Braut-Krone *ipsi, modeste, saltanti, gemmæ deciderint, nullâ aliàs interveniente culpâ, à Locatore possit conveniri? Respondet,* Quoniam conductor regulariter dolum, latam & levem, non autem levissimam culpam præstat,

 multó

multò minus casum *l. 23. ff. d. R. l. arg. l. 5. §. 2. ff. commodat* amissionis casus ipsi potius coronæ domino imputandus est, qui infirmandis gemmis diligentiam fortè majorem præstare debuisset *arg. l. 134. §. 1. l. 155. pr. l. 173. §. 2. d. R. l.* Dummodo sponsa conducens periculum & casum in se non receperit *arg. 13. §. 5. ff. locat.* D Reimers *d. l. c. 4. n. 91. & seqq.*

§. X. Quemadmodum bona universa ab uxore marito *in dotem* dari possunt *l. 72. d. jur. dot. l. 4. C. eod.* Ita etiam *Jocalia*, & quidem æstimatò, ut aliquando non res, sed æstimatio veniat restituenda; & tunc dominium plenum quasi contractâ emtione transfertur *l. 10. pr. §. 5. l. 16. l. 17. §. 1. l. 18. d. jur. dot. l. 5. l. 10. C. eod.* Molina *d. Just. & jur. tract. 2. disp. 416. n 7.*

§. XI. *Collationem* quod attinet, Filia debet conferre jocalia; quæ accepit à patre, Gail. *2. obs. 91. n. 5.* D. Struv. *exerc. 37. th. 42.* Licet enim Gerada materna aliaque vestimenta supellexque muliebris, quam filia à patre vel matre accepit, collationi non sint obnoxia Gloss. *latin. art. 13. lit. e. & in artic. 10. lit. a. lib. 1.* Landrecht *Gloss.* Weichbild *in art. 57. vers.* Ihr sollet wissen / *l. filia C. famil. hercisc.* Goldbec. *d. Gerada c. 6. n. 27.* Wesenb. *in paratitl. d. coll. it. dot. in fin.* Rauchbar. *p. 2. qu. 17. n. 14.* Attamen hoc ipsum restringi debet ad supellectilem muliebrem pretii vilioris, quæ propterea in collationem non venit, quia alimentorum nomine comprehenduntur *l. 6. ff. de alim. & cibar. legat.* Hoc tamen ad jocalia, utpote ornamenta pretiosa minimè extendendum, ut proinde ista tanquam præcipua non possit lucrari filia, Coler. *decis. 62. n. 34.* Schneidevv. *in §. quadam actiones n. 47. d. action.* nisi pater id expressè voluerit, *l. penult. C. d. collat.* interdum etiam id ex præsumta voluntate, si ita clarè non appareat, tacita enim & præsumta voluntas conservandæ æqualitatis est ratio atque fundamentum *l. illud in fin. C. d. collat.* Carpzov. *p. 3. c. 11. def. 11.* & ita pronunciarunt Scabini Lipsienses anno. 17.. Hat sich euer Weib euere Stieff-Tochter über die täglichen Kleider mit andern köstlichen Kleidern / Geschmuck / Geschmeide und Kleinodien versehen &c. Da nun eure Stieff-Tochter nicht beweisen könte / daß Ihr euer Weib die köstlichen Kleider / Geschmuck /

[illegible]

schmuck / Geschmeide und Kleinodien / und was sie auff der Verlöbniß auffgewendet / geschencket / so ist sie dieselbige Stücke in gemeine Theilung einzubringen / oder Ihr an ihrem Antheil abkürtzen zu lassen schuldig / V. R. W. Parentibus verò liberum est, uni liberorum plus relinquere, quàm alteri, dummodo nequis fraudetur in legitima *l. 8. C. d. inoff. testam.* Jocalia quoque vel reliqua conferre non tenetur filia, si abstineat, neque immisceat se bonis defuncti Parentis, qui enim non affectat successionem, ad collationem urgeri nequit *l. ult. ff. d. collat. dot. l. 23. C. famil. hercisc.* modò, ut ante monitum reliqui liberi legitimam suam consequatur, D. Præses *differt. d. debit. bon. subsid. cap. 5.* & ita judicatum à Suprema Curia Mechliniensi refert Christin. *vol. 4. decis. 2. n. 4. in fin.* jung. Gomes. *in l. Tauri 29. num. 34.* Hahn. ad Wesenb. *d. collat. dot.*

§. XII. Jocalia quæ dantur arrhæ loco liberis tempore sponsaliorum tanquam accessio quædam dotis, quæ vel venire solent generali nomine, der Außsteuer / vel in specie dici, die Verbesserung *l. 17 C. d. collat. dot. c. 42. d. R. I. in 6. arg. l. 8. d. jur dot.* debent conferri, nec filia ista lucrari potest *arg. l. 25. ff. d. pecul.* Schneidevv. *in §. 20. n. 47. Inst. d. action.* Richter *p. 4. cons. 14. num.* 13. & ita pronunciavit Facultas Juridica Rinthelienſis anno 1661. Solte aber die Mutter sich zu der Theilung freywillig erbieten / so sind die beede Kinder dasjenige / was sie vivo patre loco dotis vel donationis propter nuptias und sonst zu ihrer Außsteur an schönen kostbaren Kleidern / Ringen / Mahlschatz / nicht aber was sie zu deren Hochzeit gewendet / wenn darüber kein Verzeichnüß oder ander Nachrichtung verhanden / wie es damit solle gehalten werden / zu conferiren und in die gemeine Theilung zu bringen oder an dem Antheil abkürtzen zu lassen schuldig. Nisi forsan jocalia ista sint parvi valoris, aut aliundè constet, vel patris donatio, vel voluntas ejus contraria., cùm eo

teralibus quippe in quibus communicationis ratio cessat, quia nullus horum defuncto, de cujus hæreditate agitur, sed sibi acquisivit Jason *in l. si emancipati n. 26. C. d. collat.* In editione tamen Electorali Saxonica per *Constit. Elector. 20. p. 3. §.* Liese aber der Verstorbene etc. sive extent liberi, sive non, uxor marito ignobili ac plebejo succedens omnia sua bona qualiacunque etiam fuerint, ad maritum allata & stante matrimonio ex hereditatibus vel undicunque acquisita inferre, & cum liberis aliisve heredibus conferre tenetur, & postea ex communibus bonis quartam vel tertiam partem petere potest, textus est *in Constit. Elect. p. 3. const. 20.* Berlich. *p. 3. concl. 27. n. 37.* Id quod tamen extra Electorat. Saxonicum Coler. *decis. 61. n. 49. & seqq.* & in casu, ubi uxor vel ex statuto, vel pactis certam partem è bonis mariti lucratur, haud obtinet. His enim casibus debitam portionem absque omni collatione lucratur Berlich. *d. l. n. 48.* Jure civili quid obtineat, an & quando collatio ab uxore sit facienda vid. Wesenbec. *in paratitl. ff. de collat. bonor. n. 4.* Secus est in *Jocalibus* & vestibus uxoris propriis, quæ ad Geradam quidem pertinent, sed à sola uxore in dominio & custodia ad ornamentum & amictum muliebrem custodiuntur & conservantur, has enim & similes res conferre non tenetur, sed unà cum portione sua statuaria auferre non prohibetur, Coler. *decis. 60. n. 4. & decis. 62. num. 8.* Berlich. *ibid. n. 42.* In Archi Episcopatu verò Magdeburgensi Vidua sive dotem intulerit aliaque bona marito tradiderit, nec integram Geradam retinet, non solùm sua jocalia & proprias vestes, sed omnes omninò res ad Geradam pertinentes. Landtags Abschied zu Hall d. anno 1678. *§.* Nachdem auch vers fünffte etc.

§. XIV. Iis rebus, ex quibus fructus & lucrum percipi non potest, *collecta*, Steuer / Anlage / non imponuntur *l. 4. §. 1. ibi: frui certis ex causis non possit. ff. d. censibus.* Hinc Jocalia seu ornamenta, tanquam mobilia pretiosiora domestica à collectis immunia sunt *Recess. Imper. d. anno 1542. §.* Doch sollen eines jeglichen Kleinodien. Qui tamen locus loquitur non absolutè, sed distinguit inter ea, quæ quis pro conditione & statu suæ personæ possidet; & quæ ad luxum & pompam habentur. Ita ut de his collectæ solvendæ veniant; Verba textus sic habent:

Doch

Doch sollen in solchem Anschlag eines ieglichen Kleider / Kleinod und Silber-Geschirr / derer ein ieder NB. seinem Stande und Wesen nach sich zugebrauchen nicht wohl entbehren kan / ausgenommen werden. Posset enim alioqui sic fraus legi fieri, dum quisque sibi ejusmodi res comparaturus esset, ut in iis totum patrimonium constitutum habeat, ne de iis censum solvere teneretur, jung. Knipschild. *d. civitat. Imperial. lib. 2. c. 17. n. 39.* Bornit. *d. ærario lib. 4. c. 2.*

§. XV. Ex *bonis feudalibus* ob jocalia propter festivitatem nuptialem comparata erogatos sumtus solvere tenentur feudi successores, non heredes allodiales, *Constit. Elect. Saxon.* 46. ibi: wegen Aussteurung der Töchter/quæ verba omnes omnino sumtus in elocationem factos denotant, Carpzov. *p. 2. c. 46. def.* 14. Ita pronunciarunt Scabini Lipsienses: Ob er nun wohl über das Lehn etliche Erbgüter nach sich verlassen / der Lehns-Folger auch in die gemachte Schuld nicht gewilliget / Dieweil aber dennoch solche Schuld / zu Aussteurung des Schuldners C. W. R. Brudern Tochter und Erlegung 1000. Gülden Hochzeit- und Schmuck-Gelder hat müssen gemacht und auffgenommen werden / etc. So ist auch mehr berührter Lehns-Folger obangeregte Schuld zu samt den Zinsen aus dem Lehn zu erstatten schuldig / und es bleiben die Land-Erben damit billig verschonet V. R. W.

§. XVI. Quid in *delictis* circa Jocalia justum sit, paucis videbimus. Scilicet vendens jocalia si dolum committit, impostor ejusmodi Stellionatus reus fit *l. 1. §. 2. in fin. ff. d. pignorat. act.* Sic Imperatorem Rudolphum Gemmarium, qui rubini colorem remissiorem supposito folio rubicundiori tantummodo auxerat, infamia notasse refert Athanasius Kircher. *M. S. libr. 12. sect. 5.* D. Reimers *d. l. c. 6.* ubi ex Alciato *Parerg. lib. 11. c. 1.* singularem pœnæ speciem memorat, quâ Imperator Gallienus gemmarium, qui Conjugi ipsius gemmas vitreas pro veris ven-

nunciari jussit : *Imposturam fecit, & imposturam passus est.* Cujac. *in paratitl. C. d crimin. stellion. & in comment. C. eod.* Besold. *in thesaur. pract.* ibique Dilherr. *in voc.* Jubilirer. Cæterùm gemmarum vel aliorum jocalium artifices si gemmas vel jocalia veras non restituant, sed cùm meliora acceperint, alia viliora dolo malo supponant, non conducti solùm judicio *l. ex. ff. loc. cond.* sed & doli & Stellionatus actione, uti jam dictum, imò furti quoque conveniri possunt; cùm adversus fraudulentam alterius pro altero suppositionem furti quoque actio prodita sit *l. 20. pr. l. 66. §. 4. l. 52. §. 21. d. furt.* Q. *Si culpa artificis gemma pretiosa frangatur, artificis verò facultates damno, gemmis dato, resarciendo non sufficiant, num pœna corporalis ipsi infligi possit?* *Resp.* Si is, qui in ære non habet, ex culpa levissima quid commisit ad pœnam corpori infligendam non obligatur Robert. Maranta *in specul. aur. advoc. p. 4. dist. judic. 1. n. 89.* Claud. d. Battandier *in prax. caus. crimin. reg. 83. n. 1. 2.* Hinc utili cautela sibi consulit, qui fidejussoribus idoneis acceptis de indemnitate præstanda stipulatur *arg. l. 54. pr. ff. locat.* Reimers *d. l. cap. 3. n. 81.*

§. XVII Quando mulier jocalibus, blanditiis promissionibusque inducta stuprum admisit, stuprator gravius puniendus videtur, quàm stuprator simplex D. Stryke *dissert. de jur. blanditiar. cap. 6. n. 50.* Quæritur autem : *Num ejusmodi stuprum pro violento sit habendum, ex eo, quòd blanditiæ, promissiones & dationes munerum, & aliæ ejusmodi fallaciæ coactioni æquiparentur?* *Negat.* Cum aliàs omne ferè stuprum mortis pœna afficiendum esset, vix enim datur, in quo ex parte stupratoris fallaces persuasiones & promissiones non intervenerint Bossius *in tit. de coit. damn. & punib. n. 66* D. Stryk, *d. l. n. 53* Præterea jocalium & donorum missio est adminiculum seu suspicionem facit de adulterio Hostiensis *in summa d. testib.* Abbas *in c. præterea n. 7. X. de testib.* Cothm. *respons. jur. 16. n. 67.*

CAP. VI. & ULT.

DE

CONTRARIIS ET AFFINIBUS JOCALIORUM.

SUMMA.

SUMMARIA.

§. I. Jocalia dissolvuntur per Conflationem. Specificationem. Quando à viris possidentur. II. Affinia jocalium sunt vestes pretiosæ. Mundus. Fucus seu Pigmentum Schmincke. *Conopea* die Vorhänge umb'e Bette. *Supellex in puerperio. Res geradicæ. Currus. Cista.*

§. I.

D*issolvuntur* Jocalia, neque in ornamentorum numero habentur, quando v.gr. Catena vel armilla *conflatur*, adeò ut aurum rude, & ad ornamenta muliebria non elaboratum, (ungewirckt Gold) Lendrecht. *lib. 1. art. 24.* ad Geradam non pertineat Landr. *lib. 1. art. 24.* aber ungewirckt Gold und Silber gehöret die Frau nicht an / etiamsi res ista conflata ad hoc sit destinata; Sola enim mulieris voluntas & intentio qualitatem rerum geradicarum dare nequit Carpzov. *p. 2. c. 10. d. 15.* Vel quando jocalia *specificantur* seu in aliam speciem transformantur, *v.g.* Si ex catena aurea vas potorium vel scale fiat. Naturam suam amittunt jocalia geradica, quando à viris incipiuntur possideri. Sive igitur per emtionem, sive per donationem, sive per successionem jocalium geradilium participes fiant masculi, in ipsorum personis tamen istæ effectum alioquin habere solitum non gignunt, nec post se relinquunt. Dan. Moller. *2. Semestr. c. 6.*

§. II. *Affinia* jocalium sunt VESTES seu VESTIMENTA; sub quorum appellatione continentur omnia, quæ ad vestiendum hominem ac vestiendi causa comparata sunt *arg. l. 45. ff. d. oper. libert.* intelliguntur tamen hic vestes FESTIVÆ & PRETIOSÆ Mantica *d. conject. ult. volunt. l. 9. t. 3.* MUNDUS vid. *cap. 1. th. 3.* FUCUS seu PIGMENTUM Schmincke / quo fœminæ, ut vitia corporis tegant, sese tingere solent, qui modus sese emundandi peccaminosus est, cùm judice Augustino *Serm. 247. d. tempore*, Deum omnipotentem ac prudentissimum Plasmatorum quasi corrigere non dubitent, quòd non elegantiorem formam ipsis concesserit. Eidemque evidenter dicere videntur: *cur me fecisti sic?*

CONOPEA die Vorhänge umbs Bette / &c. SUPELLEX ...

SUPERPONDIA.

I.

Placet Lex, quam profert Tiraquell. *in 3. leg. connubiali in fine.*

Fœminæ Maritis aut præsentibus, aut futuris non cæteris modeste se ornanto.

Formosasq; utcunq; poterunt, citra fucum efficiunto.

Viri negligentius, & quantum satis erit ad munditiem, & dignitatem ex more regionis tuendam cultui corporis studento.

Atqui viri vestimentis, ornamentisque muliebribus, & contra fœminæ virilibus, nisi si qua necessitas aliave justa causa ingruerit, abstinento.

II.

Quæst. *Num Virginibus & Fœminis per honestatem liceat gestare nuda pectora?*

Placet sententia, quam ex Concionatore quodam D. Schoock, *in differt. singul. de Legibus Vestiariis th. 16.* adducit: *Cum à lapsu protoplasti libido & omnis generis fœda concupiscentia in membris nostris jam ante nimium quantum exardescant, nos infami huic incendio pabulum insuper sufficimus & ardenti camino prælargè oleum affundimus; colimus & comimus nos, & sic cultosque comtosque mutuis aspectibus propinamus, ut si forte sopita dormiat lascivia ad has illecebras reviviscat. Memini, & si nondum senio confectus cum non tantùm corpora, sed & vestes ipsæ honestissimè tegerentur; Viri suas promissiore nigro pallio, suas matronæ nigra & per totum corpus defluente pella tegebant. At nunc tantum abest, ut vestes tegantur ut penè etiam detegantur corpora, & initium alicubi jam factum est, ritu planè non Germano, sed extero & inverecundo. Non satis est pompaticæ ostentationis, curiositatem omnium oculis ingerere, jam etiam, quæ olim velata, nudamus & paulatim pectus aperimus. Quod quid aliud est, quàm pudicitiam aperto marte oppugnare? Quid hoc aliud, quàm irritare cupiditates hominum jam ante incitatas? Anno hoc nobile specimen est flagitiosæ stultitiæ, & quæ primas mereatur?* Ex *Italia* in *Germaniam* & *Hollandiam* non ita pridem migravit hæc lascivia: sed quod noveris, non ex honestioribus aulis & nobilium civiumque domiciliis, sed è prostibulorum collegiis & infamibus gurgustiis atque fornicibus. Hæc enim esca publicè exposita & objecta irritant libidines & è vulgaris nudatisque corporibus quæstum faciunt.

Cl. Creutzinge,

TE non litasse Murciæ Deæ fœdæ
Et noxiæ, constabit inde fortasse,
Vice quòd secundâ disputare conaris.
Hic ardor ad Virtutis arduæ templum
Scientiasque splendidas via est. Pergas
Hac in via laudabili, Tuis Numen
Conatibus prosperrimos dabit fines.

Quod ex animo vovet

PRÆSES.

DUm scripto, quid sint, CREUTZINGE, *Jocalia* tractas
Rem facis insigni celebrandam laude parasque.
Perge, ut cœpisti, FAUTOR, Tu hoc tramite perge,
Commoda sponte sua surgent hic plurima circum,
Et natale solum cinget tua tempora sertis
TE vocitans solum (mihi crede) *Suum Decus* omne.

Per-Eximio Dn. Respondenti, Amico & Conterraneo suo dilecto scribeb.

Johannes Georgius Simon, D.

Errata extantiora
quæ per supinam negligentiam Typographi irrepserunt.

Prooemium.

L. 19. Virginis *pro* Virgines. *l. 31.* fortis *pro* foris. *l. 34.* 13. *pro* 31.

CAP. I.

Summar. *l. 5.* Gerεda *pro* Gerada. *§. 2. l. 9.* advena *pro* advenæ. *§. 3. l. 2.* suppellectis *pro* suppellectilis. *l. 16.* quod *pro* quo. *l. 19.* balnero *pro* balneo. *l. 56.* intus *pro* textus. *l. 58.* post verba: uxori quis, legatur ff. in lin. ead. & uxori

dē *pro* eædē *l.18.* armiliæ *pro* armillæ. *l.20* usabus *pro* manꝰ & in ead. l. habitꝰ *pro* habitu. *l.22.* βαβάλια *pro* βαβάλια. *l.24.* PSELION *pro* PSELLION. *l.10.* ornavit *pro* oravit. § 4. *l.6* Isidora *pro* Isidoro. *l.7.* finirari *pro* funcrari. *l.11* .nst *pro* est. *l.10.* mur. nulas *pro* muranulas. §.5. *l.5.* autumum *pro* autumnū. § 6. *l.2.* præfertim *pro* præsertim. § 7. *l.7* §.12. *pro* §.17. *l.8.* pellucita *pro* pellucida. *l.15.* legas. *pro* legat. *l.21.* pellucito *pro* pellucido. *l.20.* Prasti *pro* Prasii. *l.30.* genemis *pro* gemis. §. 8. *l.* 10 Pinii. *pro* Plinii §.9. *l.5* lapillas *pro* lapillos *l.* 11. si cū *pro* si eā *l.13.* nuptas *pro* nupta. §.10. *l.12.* vestasq *pro* vestesq; *l.17* matronorum *pro* matronarum. §. 11. *l.6.* Pilea *pro* Pilea. *l.10.* concinnatas *pro* concinnatas §.12 *l.6.* vicerentur *pro* vincirentur. §.13. *l.5.* campago *pro* compago. *l.14.* Taubmaeno *pro* Taubmanno. *l.17.* ferre *pro* ferro. *l.18.* cadente *pro* candente. §.14. *l.18* GROBYLE *pro* CROBYLE. §.18 *l.* 4. Gradia, *pro* Grandia. §.20. *l.2.* materni *pro* materia. § 21. *l.1.* solet *pro* solent. § 22. *l.2.* virginalum papillarū *pro* virginalium papillarum. §.25 *l.2.* meribus *pro* moribus *l.7* aliarumque *pro* aliarumque *l.35.* exhibentum *pro* exhibendum. *l.36.* amorem *pro* amore. §. 26. *l.10* potus *pro* potius *l.27,* quod *pro* quos. §.27. *l.5.* Wistenb. *pro* Wittenb. *l.9.* adstringentis *pro* adstringendis.

CAP. III.

Tit. JOCACIUM *pro* JOCALIUM Summ. *l.6.* qui *pro* quid. *l.29.* Quando *pro* Quomodo. §.2. *l.22.* derselbe *pro* dieselbe. §.3. *l.18* pratiū *pro* pretium. §.4. *l.16* Negantur *pro* negatur. §.5 *l.12* Dominum *pro* Dominium *l.34* post verb. prius add. aut. *l.70.* qui *pro* quia *l.79* Marte *pro* Marta. *l.82.* ille *pro* illa §.6. *l.59.* Affirmativum *pro* Affirmativam l.ult. maritio *pro* marito. §.7. l ult. Javenal. *pro* Juvenal. §.14. *l.37.* promiscuo *pro* promiscui. *l.40.* continetur *pro* continentur. §.15 l ult. *l.1. pro l.2.*

CAP. IV.

§.1. *l.7.* ornatu *pro* ornato. §.3. *l.4* ad *pro* de. § 4 *l.8.* prependissent *pro* pependissent. *l.42.* hasta *pro* haustā. *l.43.* faceret *pro* faceret. §.5. *l.4.* archates *pro* achates. §.6 *l.13.* pigmenentatæ *pro* pigmentatæ. & in ead. *l.* amatorum *pro* amatorem. l.ult. gratiorum *pro* gratiorem. §.9. *l.46.* Patricii *pro* Patriciis. §.10. *l.9.* motis *pro* moris,

CAP. V.

§.1. *l.5.* Contractū *pro* Contractuū. *l.20.* promisso *pro* promissio. §. 3. *l.29.* septimas *pro* septimanas. §.6. *l.15.* solche *pro* solcher. § 7. *l.11.* grægravantis *pro* prægravantis. §.9. *l.4.* doum *pro* dolum. § 11. *l.34* consequatur *pro* consequantur. § 13. *l.18.* it *pro* sit. *l.25.* statuaria *pro* statutaria. *l.26.* post voc nec. leg. ne §. 14. *l.15.* habear *pro* habeat. §.16. *l.22.* artificiis *pro* artificis.